

C. G. Hammer sculp.

Das Wohngebäude der Blochmannischen Erziehungs = Anstalt
von der Garten = Seite.

Ad

Anniversarium Examen

Gymnasii Vitzthumiani scholaeque Blochmanniae

diebus XXII, XXIII, XXIV, mensis Augusti
a. CIƆIƆCCCXXXVI

habendum

Rectoris et Collegarum nomine

invitat

Carolus Natusch.

Praemissa est narratio de Jacobo Facciolato Grammatico.

Dresdae
ex officina Ernesti Blochmanni.
1836.



Quamquam nemo ignorat, antiquae humanitatis disciplina quanto his temporibus doctrinae subtilioris incremento aucta fuerit, tamen ea, quae prius saluberrimo consilio recepta viguit, antiquitatis imitandae et scribendi consuetudo passim in scholis plus aequo refrigescere videtur. Quae commutatio sicuti multas multorum querelas jam commovit, ita sane rei scholasticae cum ingenti detrimento accidit. Etenim ut omittam, quod facile fatentur omnes, primam aetatem vix satis habere roboris et firmitatis ad ferendam perpetuam altioris grammaticae, quamquam plane necessariae, at implicatae fere disputationem, quis est paullo aequior, quin videat, imitationis ejus, quam dixi, quanti sint, quam plane singulares fructus et commoditates?

Haec enim quum teneris mentibus quasi propius admoveat rerum earum intellectum, quas veteres scribendo persecuti sunt, et cultum eruditionis, cujus caput est in vitae usu conformando, tum vero sola vim aperit divinae artis, qua principes illi vetustatis scriptores animi inventa vestire verbis et exornare consueverunt. Cujus quam ego partem priore loco ponam? quam magis eminere dicam? Insignem disserendi elegantiam, quae rerum ac sententiarum tenuissima quaeque pondera prudenter aestimans dicendo expri-

mit et notat? An virtutes orationis innumerabiles, quae et sensus quamvis reconditos paene oculis subjicit, et animos robore suo perculsos aufert, et allicit divina venustatis aequabilitate, amabilem virium omnium concentum referente? Denique usus loquendi, quem dominari in omni sermone tritum est proverbium, tam apud veteres perfectus et perpolitus erat, ut dubites, utrum eum analogiae convenientia an urbanitatis felici licentia praestabiliorem dicas et magis admirabilem. At vero harum rerum omnium scientia sicuti aditum aperit ad interpretandae et emendandae antiquitatis artificium, ita profecto nemini continget, nisi qui multum scriptitando et imitando in abditissimos veteris consuetudinis recessus penetrarit et sibi quasi antiqui hominis ingenium induerit.

Hanc salutarem imitandi vim in paucis comprobavit exemplum Italorum, qui non tantum saeculo XV et XVI, quum omnis humanitatis et civilis dignitatis honos eruditionis antiquae facultate teneretur, incredibili studio veterum similitudinem consectabantur, sed etiam insequentium temporum spatio, vel ipsius coeli contagione vel majorum aemulatione incitati et adjuti, exempla antiquitatatis longe prosperrimo conatu expresserunt. Illi enim sicuti artificiorum reliquorum eam disciplinam sanxerant, ut singuli singulos in arte sua coryphaeos eligerent, in quos intuentes ingenii vim exercerent, ita dicendi quoque rationem, de Ciceronis *) sapientissima sententia, praestantissimorum in hoc genere artificum exemplo adstringi voluerunt. Hinc factum est, ut in Italia aureum latinitatis saeculum divinitus revixisse videretur, et redditus urbanitatis Romanae candor verissimus

*) Cic. de orat. II. c. 23.

luceret, non magis dicendi, quam sensuum et artificii antiqua gravitate et elegantia mirabilis. Hinc jam philosophia priscam sermonum formam sibi vindicare coepit, historia mediam rursus inter poetarum *) et philosophorum artes viam ingredi. Nihil dico de carminis pangendi sollertia, nihil de epistolis, quas ut plurimas, ita ingenii luminibus longe splendidissimas scripserunt. Hoc unum dico, interpretandi et emendandi quamquam lex et ratio certa deerat, tamen summa dexteritas apparebat, imitandi assiduitate parta et corroborata.

Hanc tantam imitationis apud Italos utilitatem contemplatus idem institutum alumnis disciplinae nostrae commendare statui, proposito exemplo summi viri Jacobi Facciolati, Patavini. Cujus hominis virtutes quum scientia contineantur quatuor fere artium, grammaticae, eloquentiae, dialecticae, historiae, nos nunc quidem oratoria ejus laude, qua plurimum pollebat, alio rejecta, demonstraturi sumus, qualis et vita**) ejus fuerit et grammaticae facultas, rati sic demum apparere posse, oratorem eum fuisse non unum e multis, sed severa lege perpolitum.

---

*) Quinctil. institt. orr. l. X. c. 1.

**) Facile praevideo, futurum, ut hujus vitae exilitas multorum animos si minus offendat, at certe male habeat; a quibus hoc unum quaeso, ne forte meam hanc culpam esse putent, sed Facciolati. Qui ut ipse Ciceronis vitam paucis comprehensam edidit, ita ne suam quidem pluribus enarrari voluit. Quippe abhorrebat animus ab hoc scribendi genere, neque satis accurate de eo judicabat; si quidem quum Fabronius commentarios quosdam vitae scribendae petiisset: „perpaucas, ait, paginas satis esse amplas „ad unius cujusque hominis mores et facta explicanda, „longumque esse et minime necessarium de primis aetatis „temporibus, de studiorum cursu et de scriptis operibus „singulariter commemorare.“ Quibus dictis quum sum-

Atque tot ac tantis viri praestantissimi meritis si cui minus satis fecisse videbor, huic ego neque gravate de ingenii mei doctrinaeque tenuitate confitebor, et hoc unum petam, ut, quidquid hoc est scriptionis, id omne juventutis nostrae studiis tributum esse cogitet. Quid? quod ego (lubet enim me plane indicare) quum semper in ea sententia fuissem, ut bene latentem bene vivere putarem, ne hanc quidem scribendi provinciam ultro mihi depoposci, sed recepi cum jussu Rectoris scholae nostrae Summe Venerandi, tum officii ipsius verecundia.

---

morum hominum auctoritates oppostuisset Fabronius, ille nihil motus in sua sententia perstitit. Equidem interdum Facciolati orationibus usus aliquantulum saltem lucis attulisse videor.

In ipsa narratione contexenda ad manum fuerunt:

1.) Vita Facciolati a Fabronio scripta, quae legitur in: Vitis Italorum doctrina excellentium, qui saeculo XVIII floruerunt. Decas III, auctore Angelo Fabronio. Rom. 1770. 8. pag. 208 — 221.

2.) Pinacotheca scriptorum nostra aetate literis illustrium; exhibens auctorum eruditione scriptisque celeberrimorum, qui hodie vivunt, imagines et elogia. Vitas recensuit Jacob. Bruckerus, imagines ad archetypum aere accurate expressit Jo. Jac. Haidius, pictor et chalcographus. Decas VI. Vol. II. Augustae Vindelicor. 1747. fol.

Ex hoc tanquam fonte ducta sunt vitae Facciolatinae monumenta reliqua, ut in: „Beiträge zur Historie der Gelahrtheit. 1r. Theil. Hamburg. 1748. pag. 54—88." „Büchners Lexicon katholischer Scribenten.", ubi subjunguntur indices ephemeridum literariarum, in quibus Facciol. operum censurae proponuntur.

Jacobus Facciolatus natus est pridie Non. Januar., a. saeculi sexti decimi LXXXII, patre Matthaeo, matre Maria Superantia, incertum, quanta vel claritate generis, vel ignobilitate. Faustum futurae laudis auspicium fecit Taurilia patria,*) quae ad Euganeos colles sita Livianum inter et Aponum memoriam affert hinc summi rerum Romanarum scriptoris, inde Petri Aponensis, quo media aetate haud scio an clarior multiplicis doctrinae facultate nemo fuerit. Ingenii felicioris igniculi jam in puero mature eluxerunt, nec minor assiduitas discendi. Quem habitum naturae, percipiendis literis imprimis utilem, simul ac parentes cognoverunt, nec filii rationibus, nec suis defuturi, cultum teneris viribus ingenuum ac liberalem adhibendum statuerunt. Hujus propositi peragendi potestatem dabat vicinia Trestensis scholae, quam velut officinam optimarum artium omni liberalitatis genere tum quidem sustentabat Vir Eminent. Greg. Cardinalis Barbadicus, episcopus Patavinus. Eo quum natus annos vix duodecim deductus esset summa suorum exspectatione, ipse spe omnium majora praestitit. Hinc clarius exsplenduerunt ejus laudes usque adeo, ut non modo Cardinalis in notitiam veniret, sed dignus idem haberetur, qui et in ampliore spatio decurreret, et in aere esset Viri Illustriss.**) Quare anno vertente, postquam rebus divinis animum adjecit, in Patavinum seminarium traducitur. Ibi tum fortunae fautricis hanc benignitatem est expertus, ut scholae, in qua nomen dedit, instituta, cum suis studiis et ea ratione, in quam na-

*) Cf. Brucker pinacotheca scriptorum illustrium l. c.
**) Cf. Vitae Italorum doctrina excellentium, auctore A. Fabronio. Rom. 1770. p. 211.

turae quodam impetu ferretur, miro modo conspirarent.*) Etenim sicut ipse flagrabat eximio litterarum omnium amore neque unius artis finibus angustis circumscribi poterat, sic Italorum id aetatis disciplina incredibili continebatur ac paene nimia varietate rerum maximarum. Quapropter Facciolatus, ex quo in eo ludo nomen professus est, continuo omnis humanitatis, qualem veteres dici haberique voluerunt, in acerrima meditatione versari coepit et habitare deinceps in omni genere doctrinae. Atque ille quidem, quas quoque tempore partes studiorum est amplexus, in iis singularem ingenii docilitatem pari consecutus est ardore discendi et industria, difficultatum ita non victus ulla cogitatione, ut his ipsis veluti stimulis incitatus, nervos omnes acrius intenderet. Maxime vero eruditae antiquitatis utriusque tenebatur insatiabili cupiditate, quippe cujus ad scientiam interiorem eum vel ipsa per se natura finxisset, vel sana ratio cohortaretur. Etenim quod res est id ille penitus infixum in animo habebat,**) theologiae summam Graecarum Latinarumque literarum fundamentis contineri. Quam sententiam, confirmatam quidem sapientissimorum hominum judiciis, sed derelictam ab Italis ac dudum neglectam,***) ubi semel perspexit, firmiter et ipse tenuit et aequalibus exempli sui gravitate majorem in modum commendavit. Ab his initiis profectus, cum primum ad justum theologiae studium accessit, magistrum, cui operam daret, unum habuit Mich. Verium,****) insigni praeditum et accuratae eruditionis copia et sollertia docendi. Ab eo quamquam Facciolatus summa omnia se percepisse praedicat, tamen sibimet ipsi et animi praeclaris facultati-

*) Cf. Jac. Facciolati orationes XX et alia ad dicendi artem pertinentia. ed. postrema. Patav. 1752. p. 77. extrema. „Ab ipsa adolescentia ex loci hujus institutis in omnes disciplinas excurri.“

**) Cf. Jac. Facciolat. orat. VI. quam in hanc sententiam scripsit: „sacrae scripturae studium cum veterum linguarum studiis conjungendam esse.“

***) Cf. Facciolati orr. p. 114 et 129. in epistola or. subjuncta.

****) Cf. Brucker pinacothec. l. c.

bus longe majora debuit. Quas quidem quam egregias nactus sit, hoc indicio vel maxime cognoscitur, quod, cum de medio recessisset, vel doctorum ineptiis deterritus, vel delenitus tuendae libertatis studio, solus sine interprete partes literarum gravissimas didicit;*) profecto rem ausus nec frequentis exempli, et mortalium vix paucis profuturam, nisi forte a naturae bonis liberalius instructis. Neque tamen hoc studiorum genus solitarium ipsius aut litteris aut moribus ullo pacto fraudi fuit, siquidem nunquam descivit ab ea vitae elegantia consuetudinisque facilitate, quae et ingenuos homines decet, neque ita se suaque inventa amat, ut aliorum merita fastidiat. Hoc amplius alii, qui suis viribus partum habent, quidquid in literis possunt, cum fere judicio lapsi ita quaeque plurimi faciant, ut sunt maxime nova, mirabilia, monstruosa, ille nisi sanum, nisi sincerum, nisi rationi consentaneum probabat nihil. Quippe vindicavit eum ab hoc morbo antiquitatis, quam in sinu ferebat, nativa simplicitas ac lepos minime fucatus; etenim veteres, qui ne in litteris quidem sequerentur quidquam, nisi populare, eam ipsam ob causam, quidquid proferebatur, ad vitae usum fructumque conferri voluerunt, et stare populi judicio, hoc est eruditis auribus et animis placere.

Ita juvenilis institutionis confecto curriculo, Facciolatus perpolitus scientia earum artium, quae humanitatis nomine vocantur, idemque theologiae cognitione perfectus, summos in theologia doctoris honores capessivit. Atque brevi tanta eruditionis fama clarus fuit, ut Georg. Cardinalis Cornelius, Barbadici successor, sic demum se suas partes acturum existimaret, hunc adolescentem si ad litteras tradendas accivisset. Itaque fecit. Nam cum non raro fieret, ut, qui rectoris muneri praeesset, avocante alia officii necessitate, scholis habendis non sufficeret, datum hoc est Facciolato negotium, ut absentis vice fungeretur. Hoc modo per annum fere

*) Cf. Brucker. pinac.

rerum divinarum scholas explicabat, in magna provinciae varietate gravitatis laude vel maxime nobilitatus. Mox tamen melioris omnino fortunae spes ostenditur. Etenim vacante philosophiae cathedra, cum de successore ageretur, nemo unus occurrebat Facciolato aptior ad eas partes sustinendas. Itur ad ipsum, offertur conditio, res convenit. In hoc munere constitutus nihil ille prius habuit, quam ut, explosa veterum doctorum vel superstitione vel ambitionis levitate, vera ac solida iniretur tradendae philosophiae ratio. Adhuc enim in ea re peccatum erat opinionis errore duplici, et sicuti fit, contrario.*) Fuerunt enim, qui Scholasticam sive Peripateticam sententiam, quae ab innumerabilium annorum memoria in scholis regnum quoddam tenuisset, probarent unice et quasi sacramento rogati tuerentur. Qui si quaeris, quid frugi attulerint in medium, erant scilicet jejuni verbis, inopes rebus, ne multa, ad hoc unum facti, ut molles animos et scientiae cupiditate gestientes, praecipiendi fame et siccitate enecarent. Erant his oppositi alii, qui pertaesi consuetudinis receptae in alia omnia discederent. Qui quidem non in eo laborandum statuerunt, ut Peripateticae formulae sublatis, quas multorum annorum spatio suscepit, sordibus et vitiis, pristina restitueretur et disserendi sanitas et orationis succus et sanguis incorruptus; imo in hoc uno toti fuerunt et jactabant operam, ut suis inventis celebrarentur et principes novarum rerum haberentur. Idcirco mutuati multa a veteribus, multa a recentioribus novum quoddam praeceptorum corpus effecerunt, neque ab aequabili constantia sententiarum, neque apta coagmentatione commendatum, usus autem et temporis auctoritate plane destitutum. Hanc varietatem instituti secum reputans Facciolatus, ut erat prudens rerum existimator, nihil ad ambitionem, ad utilitatem audientium referre omnia, neque tam philosophi, quam boni praeceptoris nomen expetere constituit. Quapropter ea lege praecipiendi totam

---

*) Cf. Facciol. orat. IV., qua docet, nullam adolescentibus tradendam esse philosophiam, nisi historicam.

rationem temperavit, ut non solum ineuntis aetatis infirmitati illustri perspicuitate et orationis modicis luminibus consuleretur, sed omnis et decernendi impotentia et praejudiciorum tamquam pestis exsularet. Atque ejus consilii perficiendi hanc viam institit, ut omissa disputandi nimia subtilitate, intra historiae fines praeceptionem contineret, et biennii spatio omnes omnium philosophorum sententias, quoad ejus potuit, diligenter enarraret. Habuit ea res hoc quoque boni, quod pervestigatis priorum inventis, nemini non integrum erat optare et eligere, quam philosophiae sectam sequi vellet, neque prius de summis rebus pronuntiare cogebatur, quam quid esset consentaneum dijudicare posset.

Ita administranda per triennium provincia cum cives in summam sui admirationem convertisset, videreturque aegre carere antiquarum artium professione, Cardinalis Cornelius perspecta viri honestissimi voluntate, religioni habuit his ejus studiis non obsequi. Itaque traducitur ad moderandam humanitatis institutionem profecto pari et ipsius cum laetitia et scholae commodo.*) Neque prius dignitatis gradum hunc amplissimum obtinuit, quam de emendanda, si qua posset, doctrinae forma cogitare coepit. Nam quae adhuc fuerat ornandae orationis et struendae tenuis quaedam disciplina, eam prolatis finibus sic instruxit, ut humanitatis non indigna nomine videri posset.**) Quid enim? Memor veteris praecepti inculcantis, ad discendum exemplis nihil fieri posse efficacius, statim omnem hanc praecipiendi partem ad exemplum antiquitatis imitandum revocavit. Vagabatur ille per probatissimos quosque scriptores, quos ad eum finem versabat interpretando, quoad declarata vi verborum exstaret etiam et animis appareret scribendi artificium sententiarum gravitas, nihil denique non

---

*) Cf. Fabron. vit. p. 212. Facciol. or. IV. p. 78.

**) Cf. Facc. or. p. 58., ubi humanitatis, quam Patavini dixerunt, vim et naturam adumbravit.

apertum esset, quod pertineret ad juvenum ingenia vel collocupletanda rebus, vel ad elegantiam dicendi conformanda.

Quo consilio inito, ad eam tanquam normam singulas accommodavit disciplinae suae partes et instituta, quae quidem non magis ex rei veritate judicabat, quam ex aetatis cujusque facultate. Idcirco perversam multorum consuetudinem ejecit, qui in tradendis linguis ipsa principia quaestionum contortarum spinis cumulare solent.*) Hac re dictitabat molles animos obtundi atque hebetari, et cum per se alacres essent et proclives ad cognoscendi cupiditatem, mox eo deferri, ut vel desperarent omnem eruditionem, vel rerum maximarum contemtu imbuerentur. Quin hunc laborem aetatis imbecillae levari et quamquam accurate, tamen quasi aliud agendo per opportunitatem scriptoris alicujus interpretandi elementa grammaticae doceri voluit; sic existimans futurum, ut puerilis animus mature lectionis suavitate provocatus, sua sponte has grammaticae aerumnas subiret ac prope flagitaret. Atque hic fortasse in eam aliquis opinionem veniat, ut Facciolatum patrocinium inertiae desidiaeque suscepisse putet. Qui dici non potest, quantum a vero aberret. Nisi forte negabimus, ut multa, sic hoc severi et prudentis esse hominis, quod ille sanxit, ne adolescentes, ipsius in disciplinam traditi, tanquam per libidinem omne librorum genus degustarent. Enimvero ita res est. Nihil ille magis perniciosum existimans ad verum animi cultum, quam heluari libris, hac suis licentia pro imperio interdixit certisque terminis omnem lectionis ambitum inclusit.**) Idem pueros ad eloquentiam instituendos adempta gravium artium disputatione, quae ea aetate non potest, nisi linguam incitare, nulla re diutius exerceri voluit, quam verborum accurata meditatione; hanc enim

---

*) Cf. Facciol. or. prima, cui hoc dedit argumentum: „Latina lingua non est ex grammaticorum libris comparanda."

**) Vid. Facciol. or. tertia, in qua docet, „praecipuam rhetoris curam debere esse verborum."

unam ajebat et eloquentium hominum propriam esse laudem et qua nihil posset ad animos erudiendos et in omnem partem versandos utilius inveniri. Hoc amplius quod institutum adhuc in Seminario Patavino nullo unquam tempore intermissum viguerat, ut juvenes bonarum artium studiosi identidem publice disputarent inter seque de eruditione concertarent,*) idem Facciolatus, quia gloria et aemulatione ad animos exacuendos nihil est potentius, non modo confirmandum, sed etiam novis praemiis propositis amplificandum judicavit.

Atque haec quidem ipsa disputatio me admonet, ut quanta in ipso fuerit prudentia docendi, paucis commemorem. Qui locus quamquam nec aliorum scriptorum fide, neque litterarum monumentis confirmari poterit, tamen aut egregie fallor, aut in eo genere qualis fuerit Facciolatus quamque palmarius, ex ipsius libris quos ad posteritatis memoriam prodidit, verosimili conjectura suspicari licet.

Eminebat igitur in ipso subtilitatis mirifica vis, quam, noli quaerere, ex quo fonte ductam habuerit. Nimirum philosophiam ac potissimum dialecticam, cum non primoribus, quod ajunt, labris attigisset, sed ad docendi scribendique usum varie transtulisset; poteritne mirabile cuiquam videri, si ille abjecta levium rerum cura, quae extrinsecus peti solent, mentis aciem convertit ad ea sola, quae cujusque loci et maxima essent et rem causamque continerent? Neque vero nimius erat in ullam partem aut putidus, eorum more, qui, sine cortice nare, quod est in proverbio, cum non didicerint, ubique dialecticorum anfractus sequuntur et apte inepte justas ac plenas definitiones, divisiones, syllogismos crepare solent: imo ille, quam vetustatis elegantioris praecipuam artem cognoverat, ut libera ac soluta ferretur oratio, eam imitatus ad sermo-

*) Cf. Facciol. orr. pars altera, pag. 340, 456, 524. — Item Fabron. vit. p. 212.

nis quotidiani gratam licentiam se componebat itaque remissiore dicendi genere severitatem judicandi et diligentiam tegebat. Huc quoniam accedebat verborum acerbus plane delectus, proprietas in dicendo maxima, brevitatis item nihil ferentis, nisi quod est in re media positum, studium acerrimum: fieri sane non potuit, quin perspicuitas orationis enasceretur, quae quascunque res subjectas haberet, earum verissimam speciem, veluti nitido expressam speculo repraesentaret. Ne multa, interpretandi eam institit rationem, non ut ipse admirabilis esset, sed veterum scriptorum virtutes ut in bono lumine collocatae viderentur.

Iucunditatem vero docendi in eo summam fuisse, id profecto omni asseveratione affirmare ausim. An vero quisquam est tam hebeti sensu ad pulchritudinem spectandam, quin hanc ipsam tenuitatem explicandi et munditiam in magna commendatione numeret? Tametsi hoc non ita a me dictum existimari velim, quasi hanc virtutem solam excoluerit, ut in dicendo nudus atque simplex videretur, expers reliquarum omnium. Nae ille hoc et a natura insitum habebat et auctum multo studio, ut, quidquid conaretur, id deceret; quod ipsum sicut in oratore primum, ita in omni arte longe esse difficillimum judices earum rerum peritissimi fatentur.*) Itaque poterat ille dictionem ad omnes quaestiones accommodare, ut de parvis tenuiter, de magnis elate et magnifice, de mediocribus suaviter dissereret. Adde insignem et rerum copiam et paratae doctrinae ubertatem, unde, quidquid in rem esset, nullo negotio depromeret, ad hoc exemplorum infinitam varietatem, quibus praeceptorum exilitatem distingueret. Quid multa? Isocrateae dulcedinis in Facciolato si minus perfectam at certe non leviter adumbratam similitudinem fuisse puto: cujus in hoc quoque imitabatur prudentiam, quod nihil praecipiebat, quod non item ad usum et exercitationem conferretur: magnam profecto rem et quamvis centies dictam identidem tamen repetendam. Scilicet ita natura comparati

---

*) Quintil. Institutt. orr. lib. XI, c. 3. extr. Cic. de orat. l. 1. c. 28. 29.

sumus, ut praeceptis iis maxime ducamur, quae primo quoque tempore aut consequi dicendo, aut factis adaequare licet.

Diximus de suavitate doctrinae, quam ita laudamus in praeceptore, ut eidem tamen adjungendam, non quasi honorariam comitem, sed sociam plane necessariam existimemus, gravitatem. Nisi quis forte putat verae sapientiae formam inter blanditiarum lenocinia et voluptarias artes provenire posse et consistere. Ab ea sententia mirum quantum abhorrebat Facciolati animus, qui dote vix ulla praestabilior est, quam illa gravitatis. Haec ut in vita moribusque, sic in oratione vultuque*) ipso sese proferebat. Ac licet nobis in hanc rem esse brevioribus, quod et alius locus hujus disputationis ostenditur, et omnium consensu haec laus ipsi propria tribuitur. Erat in oratione virile quiddam et paene imperatorium, ut, si quid praeciperet, id non ad exigui temporis oblectationem dictum videretur, sed audientium mentes aculeis quibusdam stimularet, qui alte defixi industriam acuerent. Morum autem ea conspiciebatur sanctitas, quae ut unius officii nutum intuebatur, ita recti et honesti studium, non spe mercedis ac voluptatis eblandiri, sed dicamne postulare an imperare voluit. Qui probitatis candor, si quid video, discentium in animis unus est rectae voluntatis certissimus auctor et effector.

Haec merita quae singula ad famae splendorem satis esse poterant, ne Facciolato quidem parum profuerunt. Etenim Cardinalis Cornelius, ut erat litterarum amantissimus, Facciolatini ingenii praestantia captus, non prius conquievit, quam virum doctum videret in ea palaestra collocatum, in qua quantus esset, totus spectari posset. Quapropter ei, qui adhuc scholae Patavinae studiis praepositus fuerat, homini ceteroquin egregio, sed annis et laboribus confecto, auctor fuit, ut munus abdicaret et aetatis vacatione uteretur. Facciolatum studiorum praefectum renuntiat. Hoc ille auctus honoris titulo, non otii deverticula quaesivit, sed perinde atque nihil adhuc actum foret, in-

*) Imago Facciolati aere expressa extat in Bruckeri pinacoth. l. c.

credibili exarsit rerum gerendarum cupiditate. Quid quaeris? Jam ipsum videres obire scholas; instituta, si qua salutaria essent a majoribus accepta, confirmare; obsoleta neque ad ingenium saeculi accomodata, alia commutare, abrogare alia; juveniles animos vel dubitantes regere consilio, vel languentes cohortando incitare, omnes aemulatione inflammare. Bibliothecam,*) vix umbram ejus nominis, optimorum librorum lauto instrumento sic refersit, ut cum ceterarum literarum, tum vero maxime Latinae et Graecae antiquitatis monumenta adolescentibus non beatissimis abunde suppeditarent.

Enimvero quod operae aliis satis superque videretur, hoc illi parum erat. Magna tunc erat inter Italos penuria librorum, quibus veterum linguarum initia traduntur, aut si qui erant, certe neque praecipiendi via et ratione probabiles, nec illis temporibus accommodati videbantur. Quid tum Facciolatus? num quid solebat increpare tempora, saeculi iniquitatem deplorare? nil minus! Quid igitur? Nempe quod Horatius sapientiae cupidis praescripsit,**) ut auderent, hoc sibi dictum ratus, forti animo scribendi hanc provinciam suscepit, Di boni! aerumnosam ad animi laborem, ad fructum gloriae malignam. Itaque Tursellini librum de particulis, septem linguarum Calepinum, Nizolii Thesaurum, Schrevelii Lexicon, graecam grammaticam, alia ex aliis orsus, innumerabilibus locis retractavit, auxit, exornavit, admirabili sane constantia coeptorum, sed digna eo viro, qui, quoquo appulisset animum, conatus audaciam laboris patientia aequavit. Neque vero erat, cur hominem, qui omnem vitam ex officii formula aptam et suspensam haberet, consilii sui poeniteret. Quippe quod in ea re taedii devorandum erat, alibi uberrimo laudis praemio compensatum est. Erat enim praefecto studiorum hoc quoque muneris impositum, ut quotannis instaurandis scholis oratione latina praeluderet. Hanc ille personam ita gessit, ut

*) Cf. Brucker. pinacoth. l. c.
**) Cf. Horat. Epist. L. I. ep. 2, 40.

quantum posset, boni oratoris formam, quam comprehensam animo tenebat, dicendo effingere studeret. Qui conatus, neminem fugit, quem eventum, quam laetum et admirabilem habuerit. Brevi quoquo versus propagata et sparsa ejus fama, intra angustias Italicae regionis coerceri non potuit, sed superatis Alpium claustris, apud exteros, maxime Germanos, quasi domicilium constituit. Neque jam incertus prosperi successus, aequalibus posthac invidit, quidquid publice verborum fecit, sed litteris consignatum publicavit. Quod, cave putes, eum ostentationis dedisse levitati; quin magistrorum vita atque fama ita scholarum prosperitati est conjuncta, ut utrorumque utraque fortuna sit communis minimeque segregari possit. Quanto docentium illustriora nomina, tanto fere scholarum major est celebritas. Cui utilitati, quemadmodum in eo quoque paruit, sic operam egregie navavit. Nam discipulorum numerus in dies singulos augetur, ipsae literae feliciorem proventum polliceri, Patavinae scholae flos dudum interceptus et exustus reparari creditur. His tam secundis ventis usus Ciceronem ipsum, parentem suae laudis, quasi debita grati animi mercede remunerari statuit. Accessit igitur ad Ciceronis libros explanandos, jamque orationes priores duas itemque Officia, suo more, hoc est, omni elegantiae cultu exornata foras emiserat, cum repente prosperitatis in medio cursu luctuosa omnibus morte occumbit Cardinalis Cornelius a. 1722. Quo tunc animo fuisse credimus Facciolatum, orbatum uno rerum suarum auspice et duce? Scilicet hoc omen futuri temporis adversum fuit, nam brevi rerum scholasticarum facta commutatione, in quo loco mire sibi placuit, ab eo divulsus logicae professioni forte vacuae praeficitur, quippe prius jam cognitus in ea doctrinae parte. Ipse, qua erat pietate, facilem se praebet auctoritati magistratuum, represso animi dolore. Atque o bonum quidem factum, remque providentiae divinae plane luculentis vestigiis impressam, quod nunc demum, judicio, doctrina, dicendi denique scientia perfectus et plane confirmatus, in eam partem deferebatur! An vero putamus futu-

rum fuisse, ut juvenis, nec dum constanti aetate, hoc litterarum genus tot ornamentis ac luminibus distingueret? Ille quidem et Aristotelis (hujus enim analyticorum posteriorum libros explicabat) et artis ipsius tenebras, sive rei, sive interpretum vitio, obortas dispulit: dispulit autem? Imo laeta exemplorum et dictionis luce collustravit. Etenim linguae latinae inopiam, si quo in genere conspicuam, in hoc certe gravem et molestam, quam conqueri ne Romanos quidem puduit,*) tam commode levavit, praesidiis undecunque et quoquo modo posset conquisitis, ut jam nihil superesset, quod, vel ad perspicuitatem vel ad tenuem ornatum merito requireres. Adeo illi profuit omnes latinae linguae latebras et recessus cognitos et exploratos habuisse!

Ita cum per sedecim annos, eoque amplius honorem hunc obtinuisset, visum est Veneto Senatui a. 1739. logicae et metaphysicae professiones conjunctas uni demandare. Quo loco Facciolatus sexagenarius, prope exacta aetate, quo modo**) finem quoque dignum et optimo viro et opere sanctissimo faceret, providendum judicavit. Quare, antequam in senectutis venit insidias receptui cecinit, et, deposito munere, in portum integra nave pervenit. Ac ne tum quidem eorum auctoritatem reliquit, quorum exempla per totam vitam erat aemulatus Ciceronis et Quintiliani. De quibus hic***) cum oratori, ut ita dicam exauctorato, fructum hunc otii pulcherrimum ostendisset, ut aut rerum monumenta posteris traderet, aut vitae praeceptis dignum os daret, hoc ille sic observavit, ut ejus veluti theatri, in quo virtute maxime eminuisset, annales temporum ordine descriptos ederet, et quidquid inde molestiae et odii adspersum esset animo, id Ciceronis senis philosophica suavitate delibanda mitigaret. Testes hujus industriae reliquit Fastos Academiae Patavinae et Ciceronis libros de Officiis, de Senectute,

*) Cf. Quinctil. instit. l. X. c. 10. „His illa potentiora etc.

**) Quinctil. Institutt. l. XII. c. 11.

***) Cf. Quinctil. Institutt. or. XII. c. 11.

de Amicitia, de provincia regenda novis curis recensitos. Sic cum ad extremam senectutem commoda valetudine vixisset, attulit ei mortem ileus a. d. VII. Cal. Sept. a. 1769.

In victu et cultu uti sordes, ita luxum fugiebat et profusionem, uni serviens munditiae; itaque supellectilem habebat non magis elegantia, quam usu conspicuam; hortulos autem et fructuum lectissimorum fertilissimos et cultu nitido insignes. Animo tali erat, ut videretur unum aliquem referre ex antiquis hominibus Romanis, nimirum expertus et ipse, quod Livius contigisse sibi ait, ut vetusta scribenti animus antiquus fieret.*) Conspiciebatur ubique morum summa gravitas humanitate temperata, officii tanta diligentia, ut in re dissimili similis videri posset magni illius Pompeji, dictitantis, se vivere opus non esse, rempublicam geri, id vero esse necessarium; apparebat in negotiis alacritas suscipiendi, peragendi constantia; veri vindicandi studium, laudis et gloriae contemtus, usque adeo, ut ne virtutis quidem suae monumenta ulla prodi vellet. Erat idem, sicubi res posceret, ad inimicitias contrahendas promtus, ad persequendas generosus; ad lenitatem animi vero et mansuetudinem, ut qui maxime, propensus; non minus facilis ad obsequium, quam severus ad imperandum; ad hoc munificus in pauperes, quorum ne moriens quidem curam deposuit, aequus imprimis adversus dissentientes, quos officiis prosequebatur ipsos, causam argumentis refutabat. Litterarum vero causa cupiebat omnia, neque doctorum hominum amorem vel patriae vel regionum ullo discrimine distinctum habuit, quod rationibus iis maxime cernitur, quas cum peregrinis et exteris hominibus contraxerat. Hos ita amplexabatur, ut suis eos et consiliis et opibus et inventis comiter adjuvaret et quoquo modo sublevaret. Neque vero non meritam ab iis et laudis mercedem tulit et gratiam iniit, nunquam afuturam iis, qui humani a se nihil alienum putant.

---

*) Cf. T. Livii Historiar. l. XLIII, c. 13.

Venio nunc ad eum locum, cui propositum est demonstrare, quantus vir fuerit in Grammatica Facciolatus. Grammaticae vero nomini, descriptionis brevitati consulturi potius, quam novaturi quidquam, non eam vim tribuimus, quam vulgo solent, sed consimilem ejus, quam antiquitatis usu et consuetudine receptam fuisse testis est Quinctilianus.*) Is enim artis hujus professionem in duas partes dividit, unam recte loquendi scientiam, alteram poetarum enarrationem: harum priori illi, tanquam formas, subjicit grammaticam, quam angustiore sensu nunc usurpant, et disputationem de vocabulorum, maxime glossematum significatu;**) alteri vero non modo judicium de veterum librorum depravatis locis et commenticiis auctoribus concedit,***) sed eidem aliorum quoque scriptorum, ut historicorum, interpretationem****) saepenumero adjunctam esse haud obscure docet. Cujus summi scriptoris auctoritate freti nos mediam viam ingredi statuimus, vimque omnem grammaticae tribuere in partes tres, quarum una est linguarum disciplina, complexa illa grammaticam, quae nunc est, et lexicographiam, altera scriptorum interpretatio, tertia ars criticorum, qualis nunc maxime celebratur virorum clarissimorum studiis, non quam veteres in virtutibus scriptorum declarandis collocatam voluerunt.

Diximus de partibus grammaticae, quas singulas, nunc age videamus, quibus libris editis ornarit, in iisque quatenus aut propius, aut, si forte, longius ab artis forma absoluta suis numeris afuerit.

Primam posuimus linguarum disciplinam ejusque partes duas, grammaticam et lexicographiam. Ex his priorem paene intactam reliquit; etenim habuit ille quidem notata multa et animadversa, quae pertinerent ad latinae linguae

---

*) Cf. Institutt. orat. lib. I. c. 4.

**) Cf. Quinct. institutt. orator. lib. 1. c. 8. fere med.

***) Idem Instit. orr. I. 4.

****) Cf. Quinct. Inst. orr. II. 1. Idem ibid. I., cap. 9.

historiam,*) sed tamen, nescio quo vel casu vel consilio Facciolati contigit, ut hae copiae lucem nunquam viderent. Graecam grammaticam attigit eatenus, ut ejus rudimenta, quae scholas Italiae tunc obtinerent, passim recognita et suo more emendata, denuo foras daret. Qua in re probabile videtur scholasticae institutionis, quam artis ipsius potiorem fuisse rationem. Quamquam nihil quidquam in ullam partem pronuntiare ausim, nam tametsi summa feci omnia, ut esset inspiciendi hujus libri copia, labor tamen omnis cecidit ad irritum.

In hac igitur doctrinae parte explicanda sicuti parum operae comsumsit, alio ferente vel studiorum cursu, vel animi propensione, ita in lexicographia, conjuncta illi et finitima, vitae quasi tabernaculum constituit. Adeo multis eam literarum monumentis illustratam et perpolitam prodidit! Ac primum omnium accessit ad particulas Latinae linguae recensendas, quarum usu eleganti latinae dictionis artificium vel imprimis judicari nosset. Itaque retractavit Horatii Tursellini librum ejusdem argumenti.**) Cujus operis historiam quia nuper enarravit Handius V. Cl. hic pauca satis erunt. Tursellini Romani hominis praecepta suis aliorumque observationibus amplificata ediderant Germani duo, Jacobus Thomasius (Lips. 1682) et Joh. Conrad. Schwarzius (Lips. 1709). Quorum famam et inventa, cum Facciolatus in Italiam usque pervasisse, ac plurimas jam scholas obsedisse cognovit, ad eandem quaestionem explicandam ut manum admoveret, non levibus causis impelli sibi visus est.

Quae quales fuerint, age nunc, ipsum explicantem audiamus. „Isti Germani***) inquit, nisi fallor, sibi potius „suique similibus consuluerunt, quam primae illi aetati, „cujus gratia scripsit Tursellinus. Obliti enim epigraphen

---

*) J. Facciolat. oratt. rel. p. 434.

**) Particulae latinae ab Horatio Tursellino collectae, nunc ex aliis scriptoribus purgatae et auctae. Patav. 1715. in 12.

***) Cf. Walch. historia critica Latinae linguae. Lips. 1729. p. 389.

„illam de vi atque usu eleganti omnia promiscue ex „toto Latio collegerunt, magnumque volumen non ex Ci„cerone solum et ejus aequalibus, sed ex omni scriptorum „turba veluti lexicon aliquod concinnarunt. Si copiam „quaerimus, nihil est aptius, si delectum, vereor, ne non „satis ad stilum formandum juventuti provisum sit: solet „enim aetas illa pejora imitari.“ Quocirca primum quidem maculas errorum, quibus liber haud paucis contaminatus erat, quantum in ipso fuit, eluit, deinde vero accessiones adjunxit animadversionum, quas et necessarias existimabat, et habebat in promtu vel ab aliis petitas, vel suo ingenio inventas. Has suis locis interposuit, et ubique adolescentes commonefecit, „quae ad scientiam, quae ad „imitationem traderet, ut mature intelligerent, plurima dici posse, pauca debere.“ *) Qua in re quum priorum editorum consilia aliquanto notasset acerbius, ex his illi ita satis fecit Schwarzius, ut constaret, ne Facciolatum quidem ipsum ab omni erroris labe tutum fuisse, neque nihil ipsi subinde excidisse non satis cogitatum. Sed tamen docendi ac disserendi elegantia haud paullo superaverat Germanos, qui nec lucido ordine satis essent commendabiles, et per partes minutas omnia, nihil generatim tradidissent. Idque ipsum magis etiam intellectum est vulgata Facciolati epistola, quam scripsit personato nomine Christophori Meieri. Eleutheropoli 1724.**) Verum enimvero pulcherrime stetit in ea controversia Facciolatus, patronum causae suae nactus Jo. Aug. Ernestium, quem virum, quam egregium! qui quum ipse se dedisset ad Tursellinum elimandum, sententiam illius ab adversariorum obtrectationibus non raro vindicavit.

Inde animo se et studio convertit ad librum emendandum, multo saeculorum usu tritum, nec parum fama celebratum. Erat is, qui inscribitur: Septem linguarum Calepinus hoc est lexicon Latinum variarum

*) Idem ibidem. pag. 388.

**) Vid. Handii Tursellinus. praefat. p. 8.

linguarum interpretatione adjecta.“ Consarcinatum erat hoc opus ab Ambrosio, monacho ordinis S. Augustini Eremitano, qui oriundus Calepio, Cenomanorum urbe, indidem, ut ferebat mos illius saeculi, nomen invenit Calepini. Natus, quantum quidem viri docti conjecerunt, anno post Chr. nat. 1440, obiit Bergomi anno 1510. Confectum ab hoc dictionarium Latinae linguae primum exiit Rhegii Lingobardiae, anno, uti ferunt, 1510. Auctores incepti paene servilem in modum sequebatur Nestorem, Tortellium, maxime Perottum, cujus Cornu Copiae, quum hominum judiciis insigniter floreret, ille sic exhausit, ut locos singulos ad verbum exscriptos in suam rem converteret. Qui conatus quam male cesserit, ipsius et temporis et superstitionis vitio debilitatus, facile vel inde conjecturam capias, quod in consuetudinis Latinae vi definienda plus apud se valere confitetur auctoritatem Ambrosii, Hieronymi, Augustini, quam Laurentii Vallae reprehensiones. Quid multa? Satis est hoc unum ad convincendam hominis infirmitatem, et pectoris mirabiles augustias. Nullo neque delectu habito, neque inita consilii ratione temere omnia confersit et confudit. Nihilominus in hac operis incondita mole interpolanda, augenda, digerenda viri summi quasi certatim industriam collocarunt, ut Paulus Manutius, (Venet. 1545. 1548. 1592.), ut Conr. Gesnerus, ut Budaeus, ut Passeratius, alii. Scilicet, quamquam ea doctrinae facultate praediti, ut nihil non consummatum in eodem genere ipsi possent efficere; tamen longi operis et implicati taedio deterriti, aliena in melius mutare maluerunt, quam nova de suo promere. Qui quum alius aliam rationem sequerentur, magis plerumque augendae copiae, quam subtilitatis studiosi, factum est, ut jam liber iis rebus abundaret, quibus minime debebat, et vere rudis et indigestae struis instar esset. Hanc insulsam libri farraginem et inaequabilem varietatem, cum Facciolatus perspexisset, plus ad retardanda quam ad juvanda, cum ceterorum, tum seminarii sui studia et commoda valere, committendum minime putavit, ut in ea re adolescentibus deesse videretur. Quocirca ad recognoscen-

dum aggreditur et primum omnium leges eas sibi scribit, a
quas totum consilium dirigeret. Quarum, ne quid ignores, ho
caput erat, ut primas in explicando obtineret purae et ca
stae latinitatis usus, quam tamquam normam scribentes se
querentur, secundas ea, quae pertinerent ad reliquae anti
quitatis sive primae illius, sive infimae obscuritatem illu
strandam. Itaque praecipue consuetudinem eorum scripto
rum persequi instituit, qui auream, quam vocant, et ar
genteam aetatem latinae linguae nobilitarunt, ita tamen, u
siquid singulare esset insequentium quamvis deterrimorun
temporum, hoc non incognitum relinqueret. Ita re desi
gnata, etyma multa ridicula et exsucca proscripsit, iten
historica et geographica non pauca, quae aut falsa essent
aut aliunde uberiorem explicatum requirerent, delevit
tametsi in his duobus judicii non tam severitatem, quan
lenitatem eam comprobatam voluit, quae nonnihil secul
rationibus tribueret. Barbara vero omnia expunxit ac se-
gregata a ceteris peculiarem in indicem rejecit; dubia vo-
cabula cum prius loco movere decrevisset, post novo capto
consilio, ita notavit, ut indicata varietate scripturae quam
ancipiti et parum explorato latinitatis jure essent, demon-
straret. Longe tamen difficillimum fuit et immensi plane
operis varias vocabulorum significationes definire, definitas
in apta sede collocare. Quam laboris partem cum priores
plerique omnes refugissent, haec ipsi tela prope de integro
texenda erat. Denique quidquid ita proferebat, hoc erat
exemplorum fide confirmandum; quae res cum necessaria,
tum antehac neglecta innumerabilibus ipsum difficultatibus
exercuit. His legibus cum se adstrinxisset, quo longius
progrediebatur, eo magis diligentiam et animi contentionem
auxit, quippe magis magisque usu edoctus, quam nihil
fere sanum et incorruptum esset.

Praesidiis in adornando hoc opere se usum esse queri-
tur non iis, quibus oportebat, et vix idoneis, hanc tamen
sibi suisque literis felicitatem gratulatur, quod Fabri the-
sauro non caruerit, quo uno ait nihil tum fuisse in hoc
genere perfectius. Tanti tamque ardui laboris in societatem

assumsit unum e discipulis ingenio et moribus spectatum, Aegidium Forcellinum. Liber interpolari coeptus a. 1715. quatuor fere annis non quidem ut debuit, sed ut potuit expurgatus, auctus, et perpolitus exiit Patavii 1718. Fol., editio septima ibid. 1752.*)

His laboribus exantlatis aliorum quidem studia restingui poterant, Facciolati animus infirmari nullo pacto potuit. Quidquid ad nitorem et integritatem Lat. linguae reparandam pertinebat, id ille quasi suae ditionis ac muneris proprium existimabat. Itaque cum ante vinciendae orationis artificium et tanquam nodos expedisset, jam multis annis interjectis ubertatem dicendi augere et, ut ita dicam, carnem alere conatur. Quod quo pertineat, nemo est, quin videat. Nizolii librum, perutilem sane multis nominibus, totidem partibus vix tolerabilem, emendandum recipit; quem prodidit hoc indice praescripto: Lexicon Ciceronianum Marii Nizolii, ex recensione Alexandri Scoti, nunc crebris locis refectum et locupletatum. Accedunt phrases et formulae linguae Latinae ex commentariis Stephani Doleti. Patavii. 1734. Fol. Quo perpurgato, rogas, ecquid operae pretium factum sit. Ecce testis Jo. Aug. Ernestius, futurus ille multorum millium instar, quem quamquam gravate, at necessitate coacti excitamus, quia ne hujus quidem libri facultas fuit. Ernestius igitur:**) „Nizolii opus, „inquit, non tam ad intelligendum Ciceronem, quam ad „Latine scribendi facultatem comparatum scimus: in qua

---

*) Haec quidem divisa est in partes duas, quarum prior habet paginas 464; altera paginas 481. Subjectus est index barbarorum vocabulorum complectens paginas 24; index vocabulorum Italicorum, adjuncta singulis interpretatione Latina, pag. 86.

Auctoribus hujus narrationis usi sumus Facciolato et Forcellino (Cf. praeff. Calepini et lexici Forcelliniani), praeterea scriptore incerto, cujus dissertatio de praecipuis lexicis Latinis eorumque conditoribus praefixa est Gesneri thesauro latinae linguae.

**) Clavis. Ciceronian. praef. p. 11. ed. 3.

„re magnam ejus utilitatem esse posse, Facciolatus in prae-
„fatione demonstrat. Illud etiam, dum opus excutimus,
„infinitis locis observavimus, in nova hac editione (Faccio-
„lati) corruptas lectiones veterum editionum, etsi doctorum
„hominum opera dudum sublatas, tamen esse servatas,
„neque ad illud opus emendandum adhibita esse, quae post
„Nizolii tempora rectius intellecta sunt et explicata. Mul-
„tis verbis multisque formulis alienae ab iis locis, quae
„laudantur, potestates tribuuntur, diversi significatus con-
„funduntur, quaedam etiam ad cognoscendam omnem lati-
„nitatem Ciceronianam necessaria praetermittuntur.“ Quod judicium tanti viri si cui meritis Facciolati invidiam facere videbitur, is primum quidem hoc velim cogitet, tot eam rem difficultatibus obnoxiam et implicatam esse, ut unus homo, quamquam et lynceis oculis praeditus et Aristarchea mentis acie, sufficere omnibus et omnes errorum fallacias vitare minime possit: deinde vero meminerit, hoc esse Facciolatinae consuetudinis, superiorum libros non totos retexere, sed per partes reficere, nec tam augendo et dilatando, quam resecando et nimis diffusa constringendo mederi.

Interim Facciolatus jam concepta animo lexici latini ea specie, quae vetustatem habitura videretur, nihil neque parvum, nec inutile ducebat, quod aliorum studiis in eodem genere elaboratum exiit. Ita incidit in Petri Daneti magnum dictionarium Latino-gallicum, in usum Delphini comparatum. Hoc evolvit, excutit, quid reliquum fecerit auctor proponit scriptis Animadversionibus criticis in primam hujus lexici literam Patavii, 1731. Hujus instituti hanc fere rationem tenuit ut vocabula, falsis scriptorum testimoniis munita, firmaret veris; item sicubi usus erat aetates, quibus vocabula viguissent, describeret. Barbara quae deprehendit et inscitia librariorum conficta, induxit, restituta scriptorum prima manu. Si quid per grammaticae leges stare non poterat (ut consecutiones sive constructiones verborum vitiosae), hoc enucleato orationis ejus, unde petitum esset

contextu et facili medela quavis persanavit. Denique significationes, quae aut alienae erant, aut non satis enodatae, pro re nata, nunc ejecit, nunc altius et a suis causis repetitas explanavit.*)

Quo loco non possum, quin commemorem et suis laudibus efferam Facciolati cum animi magnitudinem, tum singularem modestiam, quae omissis rebus omnibus in una literarum utilitate adjuvanda defixa erat, et mendorum ingenti numero sublato auctoris recordationem affert vix levissimam. Adeo ille abhorrebat a futili multorum insolentia, qui, si forte in rebus minutissimis plus aliis viderunt, ut sibi plaudunt, ut se circumspiciunt, et, quod ajunt, tragoedias in nugis agunt!

Jam in adornando Calepino Facciolatus earum literarum vim ac naturam interius perspexerat; neque mirum est, ea res si mox eo valuit, ut ne ipsius quidem Roberti Stephani thesaurus Latinae linguae satis probaretur. Quare illis usus tanquam justi cursus ac certaminis prolusionibus animum erexit ad condendum operis exemplum, quod, ut in illis lexicographiae Latinae miseriis, thesauri cujusdam scite structi et exornati omnes numeros haberet. Adjutorem assumit eundem, quem ante, Aegidium Forcellinum. Ipse rationis describendae curam suscipit, exsequendae Forcellinus. Fit operis initium exeunte anno superioris saeculi duodevicesimo; lente proceditur, quamquam acerrima virium adhibita contentione; persistunt, nihil quidquam de industria remittunt, quum pro dolor! necopinato ac tristi casu (a. 1723.*) honestissimi laboris societas dirimitur; alius alio digreditur, nec jam spes ulla supererat perficiendi, quod magno animo nec infausto omine inceptum erat. Animum abjiciunt, cessat opus. Denique anno 1731. Forcelli-

*) Earum animadversionum pars secunda, quae in corrigenda ejusdem lexici litera decima versatur, descripta legitur in collectione opusculorum scientif. Calogerà. tom. 19. Venet. 1739.

**) Morte Cardinalis Gregorii, episcopi Patavini.

nus in Seminarium Patavinum rediit, uterque velut in integrum restitui videtur. Quo tempore pristini laboris instaurandi cura nihil ipsis prius fuit. Sed tamen jam raro Forcellinus monitore indigebat, ut qui subacto jam satis esset ingenio et usum rei plurimum haberet. Itaque tum quidem accidit, quod Cicero*) usu venire ait „concitato navigio; quum remiges inhibuerunt, retinet tamen ipsa navis motum et cursum suum, intermisso impetu cursuque remorum.“ Facciolatus in plerasque literas vix quidquam praeter consilium suppeditat, solus ille partes peragit, usque dum ventum est ad plaudite et ad finem operis anno 1761. Liber prodit hoc ornatus titulo: Totius Latinitatis lexicon consilio et cura Jacobi Facciolati, opera et studio Aegidii Forcellini Patav. 1771. 4. voll.

Ac Forcellinus, si quaeris, quibus vel ingenii vel doctrinae praesidiis instructus in eum locum se commiserit, videtur ille sane dignus tanto praeceptore discipulus. Erat in eo analogiae Latini sermonis et usus non mediocris scientia, ducta illa ex optimae notae scriptoribus et confirmata multa lectione; rectum praeterea judicium et mentis nativa quaedam sanitas, aliena ab omni argutiarum studio et nimiae subtilitatis consectatione; dialecticam artem, cujus in eo genere usus est plane necessarius, eatenus perceperat, ut si minus eleganter, at plane disputaret et ordine probabili. Prudenter de toto hoc negotio statuebat, et quem lexicorum finem principem cognorat, ut prodessent ad intelligendos scriptores et comparandam Latine scribendi copiam, eum unice spectabat et quanta maxima religione sequebatur. Ita paratus quo consilium intenderit, quid effecerit, modeste admodum neque sane non vere disserit in operis praefatione.

Disputavimus adhuc de studio, quod Duumviri, quos dixi, ad explicandas Latinae linguae copias contulerunt; re-

*) Cf. Cic. de oratore. I. 33.

stat, ut quaeramus, quid inde fructus ad Lexicographiae summam redundarit, quid non satis commode factum videatur.

Quo loco minime dissimulabo, magnas operis in omnem partem virtutes eminere; notiones vocabulorum, quorum hic longe plenior est apparatus, multo item, quam antehac, dilgentius distinguuntur, et plerumque facili quodam et illustri ordine disponuntur; cujus quidem rei hanc sibi legem constituerunt, ut primum propriam sententiam exprimerent, erutam illam notationis auxilio, deinde figuratas adjungerent cum prosae orationis tum poeticae. Usus vero linguae non modo vulgaris, sed urbanitatis maxime politae egregie profecto declaratus est. Constructiones verborum, flectendi rationes, cetera accurate ubique recensentur, exemplis additis et aureae potissimum aetatis testimoniis, hujus enim in toto libro principatus est. Praeterea si quid erat minus tritum et insolens, in eo illustrando mira prorsus diligentia cernitur. Denique locutionum et dicendi formularum insignis est ubertas, grata futura iis, qui latine scribunt. Quid? quod vita quoque, mores, jura, instituta, historia veterum Romanorum non exiguam sibi lucem affusam esse gloriari poterunt. Quid jam? Non satis videmur agnovisse meritorum magnitudinem? Nihilne reliquum factum est, nihil praetermissum, quod requiras? Nimirum aegre est et molestum hominum excellentium commemorare lapsus, ne videaris summas eorum laudes non satis assecutus esse, neque meminisse, quam sit proclive leges huic rei facere, quam arduum easdem ad effectum adducere. Sed tamen licet sine studio et modeste proferre quid sentias, neque nos nova dicimus aut inaudita, sed doctissimorum hominum sententiis dudum comprobata.

Primum igitur dolendum hoc est, quod Facciolatus et Forcellinus summam consiliorum omnium, quam res et ratio lexicographiae praescribit, non cognitam penitus et pertentatam habuerunt. Etenim lexici condendi institutum

huc omne redit,*) ut vocabuli cujusque exstet tum historia quaedam per omnes linguae aetates explicata, tum subtilis et accurata significationum et usus enarratio. Atque historiae, quod usurpavi, nomen hoc videtur postulare, ut edisseras, quo tempore singula vocabula floruerint, deinde ut notiones ipsae, si fieri potest, ex ordine temporis, quo quaeque frequentatae sunt, digerantur, sin id minus licuerit per brevitatis atque perspicuitatis rationem, fas quidem erit, ordinem aliquem instituere naturae convenientem, at indicandum tamen erit, qui scriptores cujusque significatus sint auctores, cujus aetatis quasi finibus ejus usus terminetur. Quam altero loco posui acuratam intellectus et consuetudinis enarrationem, ejus haec vis est et sententia, ut ne quis satis habeat, verbum verbo reddidisse et peregrinae linguae vocabula totidem nostrae linguae expressisse; tantum hoc abest a lexicographi persona, ut ne intra scholae quidem spatia locum habere possit et vix ad vertendi necessitatem aptum sit: quin imo plena definitione vis cujusque vocis declaranda est et emetiendus quasi potestatis universus ambitus. Deinde utile imprimis erit sententiarum, quae cuique vocabulo subjectae sunt, necessitudines et affinitates persequi, et interjectis auxiliarium notionum tanquam copulis planum facere, quomodo significatus alius ex alio aptus sit. Huc accedat oportet observatio, quae proprie dicantur, quae per translationem, cui dicendi generi quidque conveniat.

Ad hanc formulam si exegeris Facciolati Lexica, profecto multa deprehendes, quae aliter conformata velis, multa, de quibus ne levissime quidem cogitarit, quae neglecta jaceant. Quod cur ita factum sit, in promptu est. Facciolatus enim hoc unum operam dedit, ut omnes latinae linguae partes vel ad lectionis vel ad scriptionis usum accommodate explicaret; hoc consilio nihil ille potius habebat.

---

*) Cf. quae in eam sententiam scripta sunt cum ab aliis ut Passovio, Matthiaeo, tum a Freundio in praefatione lexici Latini, cujus vestigiis nos ingredi ingenue fatemur.

Quod si quis reprehendat, sic a me dici, quasi non eodem pertineat utrumque lexicographi institutum, neque utravis constituta lege idem consequatur, is viderit, ne quid temere decernat et audacius. Interest vero plurimum, hac an illa utaris regula, huc an illuc animum intenderis. Quisquis enim Facciolati ad exemplum se compararit, is cur ita sollicitus et anxius sit in aetatibus dignoscendis ac declarandis? Dum significationibus propositis unum itemque alterum locum scriptoris adsperserit, satis erit. Ordini vero notionum cur tantopere inserviat? Aut si forte eam cogitationem, prope ipsa natura praeeunte ac necessitate, susceperit, quam arbitraria tota res erit, historiae norma et auctoritate relicta, quam paene ad libidinem omnia recident! Etenim quam logicam descriptionem notionum tantopere venditant, ea vix unquam communem omnium assensum inveniet, nam neque stabilis neque certa est et perinde fere comparata, atque auctoris animus et intelligentia. Confecimus, opinor, quod volebamus, lexicographiae munus a Facciolato non suo fine, suaque vi et natura, sed utilitate sola judicatam esse.

Alterum, quod offendit, hoc est, quod lexicorum suorum fines ultra latinitatis purae ac sincerae terminos protulit et nimis late patere voluit. Quod animadversum a Ruhnkenio;*) ita verum etiamnunc videtur, ut nesciam an ne ad interitum quidem imperii Romani delabi debeant ea lexica, quae in aureae aetatis sermone explicando versantur. Nam ut silentio praetermittam, quae leviora sunt, quantum tandem illud esse dicemus, quod illis temporibus non jam iis rebus oratio latina regebatur, quibus ante regi solebat et profecto debebat**) h. e. analogia, vetustatis usu, optimorum scriptorum auctoritate, consuetudine eleganti, graecae linguae exemplo et prudenti imitatione. Imo vero exterarum gentium et barbararum commercio inqui-

*) Dav. Ruhnkenii orationes et epistolae. Edidit Friedemann. Brunswig. 1828. Vol. 2. pag. 501 sqq.

**) cf. Quintil. instit. orr. I. 6.

nata, nullum non genus sordium et salebrarum traxerat, quarum si quis est adeo amans, ut iis carere nolit (nolet autem, qui historiam latinae linguae integram nosse cupiet), is illarum rerum explicatum adhibebit, non plenum futurum et idoneum, nisi simul comparata barbararum gentium consuetudine. Quod si fecerit, in alienum latinae linguae campum deferetur, sin omiserit, identidem haerebit, neque se expedire poterit. Hoc magis ego cadentis Latinitatis usum peculiaribus libris reservandum puto, ne eos décipiat, quos minime debet, qui quid distent aera lupinis judicare nequeunt.

Denique, sicuti supra jam significavi, Facciolatus in notionis inveniendae, disponendae, enarrandae ratione non raro titubavit; id quod necessario ita accidit, lexicographiae consilio non satis intellecto. Constat enim et multis multorum vocibus confirmatum est, non omnes ab eo significatus, quantum par erat, suis notis et indiciis sejunctas et expeditas esse; interdum capita tantummodo ponuntur. Quod incommodum esse, non nego, sed erit tamen excusatius fortasse ab Italici sermonis indole, cujus utebatur tanquam judicandi regula; qui ubi uno vocabulo plures sententias complectebatur, facile fieri poterat, ut paucis comprehenderentur, quae cum diversa, tum alienigenis tradenda erant pluribus. Neque tamen non aliquando plane contrarium in vitium incurrit, est enim, ubi unam eandemque significationem misere dilaceratam et per plures partes sparsam exhibeat. Inventas autem notiones quamquam longe longeque melius, quam qui ante fuerunt, ordinavit, ob id ipsum honorificentissime tractatus a Ruhnkenio, tamen de eo, quem dixi, ordine historico, ne tantulum quidem cogitavit; ea vero ratio, quam est amplexus, non ita certa videtur, quin varios multis scrupulos injiciat. Postremo justo brevior saepe fuit in describenda verborum potestate, et acquievit adjecta vel vulgari Italorum interpretatione vel finitimi verbi et cognati commemoratione.

Sequitur, ut dicamus, criticae artis facultate quantum valuerit Facciolatus. Hujus partem eam adortus est, quae scriptorum orationem depravatam tum codicum MSS. ope, tum conjecturae remedio persanat ac restituit. Contulit eam ad unum Ciceronem emendandum, cujus primum orationes duas priores, *) postea libros de Officiis **) rell. recensuit.

In priore libro admodum raro critici partes sumit, ac tum fere, quum interpretandi necessitas postularet, aut casus probabile aliquid obtulisset; quare ibi hanc laudem paene deprecatur et aliorum ambitioni relinquit. „Pauci „admodum, inquit, de te, bone lector, cogitant. Ego certe „interpretis vocem et vim meditatus, non alio consilio „meam hanc interpretationem edo, nisi ut infirmis inge„niis consulam, Ciceronem cognoscere volentibus, et quam „minimo labore cognoscere."

Acriorem longe in eam artem curam et diligentiam impendit, ubi ad officia Ciceronis perpolienda accessit. Quod cum juvenis***) fecisset, tum senex ad eadem rediit; eoque tempore ita penitus in eam causam se demisit, ut jam alia ipsi omnia viderentur ac longe impeditiora. Ea res et operis praestantia fecerunt, ut experiendum statueret, quid ipse efficere posset, praesertim cum forte fortuna antiquum codicem nactus esset. Quid secutus fuerit ipse demonstrat. „Egomet, inquit, Ciceronem in Cicerone quaesivi, saepiusque cogitavi, quid ipse scripserit, quam quid alii post alios exscripserint. In quo tamen modum tenui, monendo saepius, quam mutando: ac de meo si quid aspergere au-

---

*) Libri titulus hic est: Jacobi Facciolati exercitationes in duas priores Ciceronis orationes. editio 2., cui adjecta est epistola ad Quinctum fratrem, Asiae praetorem, de ratione regendae provinciae. Patav. 1732.

**) Sic inscribuntur: M. Tullii Ciceronis de officiis libri tres, de senectute, de amicitia, de somnio Scipionis et paradoxa. Ex recensione Jac. Facciolati. Venet. 1747.

***) a. 1720.

sus sum, ingenue significavi, ut quivis statuere pro arbitrio possit.“ Ecce tibi ratio tota, quam in emendando tenuit! Quippe ex ipsius disputationis et sententiarum nexu et conformatione, ex orationis Ciceronianae indole et propria natura quid integrum et sanum esset, quid dubium ac depravatum judicabat; inde emendandi et causas et praesidia suspensa habuit; raro sui codicis auctoritatem sequitur. At Ciceroniani artificii qualem animo complexus erat formam? Profecto gravem et insignem brevitate, verum non aeque facilem et varietatis suavitate et copiae conditam.

Quaeritur, num et laborem viris doctis comprobarit, et orationis integritatem restituerit.

Heusingero quidem in praef. officiorum p. 15. „audax videtur in emovendis et trajiciendis adulterinis,“*) ac duriorem etiam sentententiam pronuntiavit Beierus.**) Quae tametsi iniquior paullo videtur et prope absit a calumniae invidia, fateor tamen in summis Facciolati laudibus criticam facultatem longe ceteris inferiorem esse. Etenim facile largior plura ab eo recte constituta esse, atque permultum ad interpretandi veritatem valuisse diligentiam, quam in exploranda sententiarum compage posuit, sed tamen si quis accuratius inspexerit, primum prudentiam saepe requiret, quae nisi gravibus causarum momentis impulsa omne emendandi consilium refugit. Ab ea non raro ita desciscit, ut locos integerrimos tentet, qui remedio minime indigeant, et interpretis potius, quam critici ingenium postulent.

---

*) En ipsa verba: „Ex insertis adulterinis ortas verborum ac sententiarum perturbationes deprehendisse sibi plurimas visus est; in his emovendis ac trajiciendis sane audax.“

**) Cf. Beier. ed. Off. Tom. 2. p. 454. „Notulae fere sententias variatis verbis breviter atque perspicue exprimunt, aut earum ordinem explorantes et castigantes, integerrima quaeque sollicitant, cum ipse F. parum teneret Ciceronis consuetudinem laxius disputandi. Nam ut ipse fatetur, Ciceronem in Cicerone quaesivit.No nunquam tamen in interpolatorum malitiosis astutiis perspiciendis reliquis editoribus fuit sagacior. rll.

Deinde quos locos mutavit, corruptelae manifestis indiciis insignes, in his frequenter ita versatur, ut vulgatae lectionis incommodis singulis occurrat, non omnia tollat, neque ipsam dubitandi conditionem removeat. Itaque raro fit, ut ejus conatibus sententiae, dictionis, ipsius naturae vis ac necessitas suffragari et animum lectoris vel invitum expugnare videatur. Praeterea quod merito postulant, ut ne nimis longe a vulgatae lectionis similitudine mutationes recedant, ad eamque tanquam ad lapidem Lydium exigantur, hoc Facciolatus parum curat, et modo sententia constet, quam sibi veram esse persuasit, in verbis minime difficilis est. Denique mutandi causas plerumque reticet aut minus dilucide exponit, quod multum detrahit de facilitate judicandi et ipsi profecto obfuit ad licentiam emendandi coercendam. At hoc quibus argumentis fretus ita confidenter dico? In promptu sunt, itaque obvia, ut libri Facciolatini paginae singulae fere singula exempla suppeditent. Quocirca eo delegamus lectores, quicunque harum rerum studiosi sunt, neque veremur, ne dictis non fidem fecisse videamur, commemorata Gernhardi, viri praestantissimi, auctoritate, qui quum Facciolati virtutes candide, ut solet, et quasi pleniore ore laudarit, emendationes tamen non sane multas suo suffragio ornavit.

Atque lubet hoc loco causas exquirere, quare hoc Facciolati consilium parum prospere cesserit; habet enim illius ratio, quo mentes hominum alliciat, atque adeo nuper imitatores nacta est.

Primum igitur haud paullum valuisse dixerim ad labefactandum viri summi propositum, quod non satis paratus erat a librorum MSS. praesidiis et adminiculis. Unam intuebatur Ciceroniani ingenii speciem, quam animo sibi effinxerat, ad eam se totum accommodabat. Atque in ea re magnam utilitatem esse, neque quemquam de scriptore perpurgando cogitare posse, nisi ante habitum naturae, qui illius proprius est, et prope lineamenta animi accuratissime cognorit, hoc nemo sane ignorat, nisi qui artem ipsam ignoret; neque ego illud negare ausim. Tantum dico, nisi

alia accesserint rei gerendae adjumenta, praecipitem errandi locum esse. Ita enim quantum opinionis arbitrio et hominum commentis conceditur! quam facile fiet, ut de scriptoribus ex formula aliqua consummata ac perfecta judicetur! at ii quam saepe virtutem eam, qua pollent, paene consulto remittunt, ut lumina magis eluceant, subinde obscuratis partibus nonnullis! Latinitatis vero aestimandae quam nonnunquam invidiosum est negotium, ut pari discrepantis lectionis bonitate oblata, nisi aliunde quaesita suppetant momenta decernendi, secundum utram partem pronunties, vix dispexeris. Atque hoc illud est, quod Facciolato vel maxime impedimento fuit. Carebat libris MSS. et critici instrumenti justa copia. Nam in eo usurpando quamquam nemo erit, qui anilem imbecilli animi superstitionem probet, hoc tamen manet, neque argumentis ullis convelletur, monumentis manuscriptis primas in exercenda critica deberi, neque quidquam unquam mutandum esse, nisi his fideliter consultis. Talem vero diligentiam Facciolatus oderat, qui, cum unum codicem possideret, non modo non conquisivit alios, sed ne illi quidem multum operae tribuisse videtur. Hic ei scopulus mirabiliter infestus fuit, ad hunc fere omnis instituti vis fracta concidit.

Etenim quod ait, se Ciceronem in Cicerone quaesivisse, hoc vereor ne non vehementer ipsum fefellerit. Neque enim vera lege Ciceronis aut disserendi genus, aut dicendi artificium metiebatur. Eaque est altera causa, cur consilio suo perpoliendi Ciceronis exciderit. Quid enim? Cicero qua tandem disserendi ratione usus est? scilicet Academica, in utrumque partem de re qualibet disputante, ad sermonis eruditi libertatem conformata, ut verbo dicam, quae originis suae non obscura signa prae se ferret, hoc est, Socratici ingenii inexhaustam copiam, urbanitatem nulla in re nimiam aut ineptam, varietatem denique et facilitatem, omnes quasi flexiones, modo cum re conjunctae essent, persequentem. Adde eloquentiae popularem facultatem, cui Cicero quum omnem vitam dicasset, fieri non potuit, quin ad philosophiae scriptionem eandem latitudi-

nem et quasi forensem mensuram transferret. Atque huic consuetudini oratoriae fortasse nimiae si vel maxime temperare voluisset, tamen illo certe tempore non potuit, cum libros eos literis mandavit, quos edidit Facciolatus. An vero in media reipublicae non jam concidentis sed plane corruentis labe ac propemodum fragore, tot tantisque objectis animo terroribus, tanta urgente curarum mole, ad Stoicorum captiones sese revocaret, ad hoc acutum interrogationum genus, ad hanc inopiam verborum? Id vero majus erat, quam pro humani ingenii modulo; ac tamen ad Stoicorum quandam similitudinem Ciceronis genus retulit Facciolatus. Qui etsi ingenio flexibili praeditus erat, quod hominum mores facile perspiceret in eosque se insinuaret, tamen Aristotelis ad nervos quosdam et acutum adstrictumque disputandi genus adsueverat, quod non semel, ut fit, Ciceroni obtrusit. Idem in examinanda dictione ipsi usu venit. Nam philosophiae temperatum et aequabile dicendi genus ut vendibilius esset inter populares, Cicero omne jucunditatis et politioris humanitatis condimentum adspersit. Et habebat ejus rei promtam et paratam facultatem, numerorum reconditum artificium, poeticae non mediocrem usum, qui cum philosophia qua necessitudine conjunctus esset, probe tenebat, denique graecae linguae explicatam scientiam, quam ad verborum non modo augendam copiam, sed ad structuram distinguendam et ornandam conferebat. Hanc Ciceronianae dictionis suavitatem aut non satis percepit, aut certe parum meminerat Facciolatus, cum ad Officia recolenda se dedisset, sunt enim emendationes ejus pleraeque omnes gravitate potius, quam venustate commendabiles.

Reliquum est, ut disseramus de Facciolato interprete; sed eam partem exclusi temporis angustiis, simul ut lectorum satietati medeamur, in locum alium rejicimus.

Praestat ipsum denique Facciolatum inducere sententiam dicentem, ne adolescentes nullo vel prudentiae, vel ubertatis, qua pollebat, gustu imbuisse videamur.

Ille vero egregie de lectionis scholasticae finibus regendis ita disserit: „Immorari oportet rebus singulis, quae

maxime eminent; idem submissa voce legere, idem elata; quodque semel legeris, iterum saepiusque repetere; et cogitatione vehementissima in omnem partem versare. Si enim lectio ad imitationem instituta est; imitari vero nihil est aliud, quam similes eorum fieri, quos nobis ad imitandum proponimus; certe non cursu, sed mora longissima opus est, ut illorum dicendi genus modo in universum, modo per partes singulas meditantes, in nobis ipsis altissime defigamus. Ita si legat adolescens, vix unum, aut alterum Latinae linguae scriptorem ad multam aetatem evolvet; nec erit nobis a librorum multitudine revocandus. Non alia, credo, caussa primi illi attritae Latinitatis ac paene sepultae reparatores tantopere floruerunt, ut uno tempore studium hoc et inchoasse videantur, et perfecisse, nisi quia paucissimos libros habebant, quibus se addicerent, vel nondum editis tot voluminibus, vel nondum satis librariorum opera propagatis. Nunc vero quanta undique succrevit librorum seges! quam multae, et quam operosae officinae! quot publicae privataeque bibliothecae, non modo ad litterarum studia, sed quod ostentationis est non ferendae, ad parietum quoque ornamentum! Quae copia multo quidem major, quam a nobis explicari possit, vel fastidium parit, vel levem illam legendi curam, quae sine ullo eloquentiae fructu, atque adeo cum detrimento plerumque expletur. Cavete, Adolescentes, magna animi provisione cavete. Insidiae vobis ubique parantur, eoque periculosiores, quod parantur ab amicis. Nolite animum pravis libris vitiare, nolite turbare multis. Habete rationem aetatis, habete studiorum, habete etiam aliquam voluntatis in vos meae, quae nihil me sinit aut cogitare, aut efficere, quod non ante cognoverim certis exploratisque argumentis institutioni vestrae profuturum. Illos ipsos, qui aetate jam sunt confirmata, *non multa legere, sed multum*, ex veteri proverbio Plinius jubet: quanto vos minus vagari oportet, atque in varia discurrere, qui nunc primum ire aggressi, de via si paullum deflectitis, tanto magis errabitis, quanto solent esse aberrationes a scopo iti-

neris initio longiores. Unum vobis sufficere Ciceronem viri in hac arte peritissimi existimarunt. Querebamini: largius egimus: Caesarem concessimus, Terentium cet.“*)

Intra scholae spatia non ipsam philosophiae artem aut formulam aliquam, sed solam historiam explicari debere, ita docet: „Quam vero indecorum est, quam a tota scientiae natura alienum, adolescentem hominem de rebus abditissimis judicare, decernere, affirmare; et ut ejus aetatis est, tanto magis clamore et audacia, quanto minus ratione potest, susceptas partes propugnare? Non ego cum juventute tam dure agam, ut eam per multos annos Pythagorico more silere jubeam, nihilque respondere umquam, nihil interogare; verumtamen si philosophica eruditione contenta sit, nec sapientiam immature affectare videbitur, et in eo tamen valere, cujus praesidio perfectam absolutamque sapientiam comparare aliquando possit. Nam quod ipsa per se intempestive commentari velit, et sine prudentia garrire, iccirco factum est, ut nobilissima disciplina, non hominum ingeniis parta, sed ut Plato existimavit, Deorum munere nobis concessa, incredibili invidia laboret; nihilque jam de rerum natura tam poeticum fingi posse videatur, quod non ab aliquo dicatur philosophorum. Hinc modo cum horologiorum inconstantia, modo cum aegrotorum somniis, modo cum andabatarum pugnis a sapientissimis Scriptoribus comparata: hinc senatusconsulto a Romanis expulsa, et ad suos Graeculos redire jussa: hinc denique a Graecis ipsis simulandi ars saepe dicta, cujus fama et auctoritas non ipsa dignitate rei, sed singulari habitu; et contemptu ceterorum sustineretur. Quemadmodum enim summi in repub. magistratus si vulgari coeperint, et cuilibet aetati mandari, splendorem et auctoritatem amittunt; unde fit ut habitus ipse, et antiqua potestatis insignia, ad mores degeneres accommodata, irrideantur; ita philosophica studia maximarum tractatione rerum paene divina, postquam in medio posita sunt, et cuique sine delectu communicata,

*) Facciolati or. II, pag. 56 sqq.

in contemptum abiere, palliumque ipsum pristinae majestatis insigne ad irrisionem traductum est. Ago igitur caussam vestram, sapientissimi viri, cum dico, non esse adolescentibus dandum, ut ipsi per se, cum paullum aliquid in schola sederint, statim philosophentur. Cum enim praestare nequeant, quod conantur, tanto nomini injuriam faciunt, et numerum quidem augent, si Diis placet, philosophorum, sed pretium imminuunt. Ago etiam vestram, adolescentes studiosissimi, quos cum videam in rerum difficillimarum tractatione magno cum labore fluctuare, ex illo velut Euripo in tranquillum pacatumque mare deduco, ubi et facilitas navigandi jucunditatem pariat, et opportunitas laudem, et modus utilitatem.*)"

Atque haec jam ita dicta sunto; faxit Deus, ut viri summi rata sit sententia! Superest, ut anniversarium examen indicamus gymnasii Vitzthumiani scholaeque Blochmanniae, quod ita facimus, ut Praesides rerum nostrarum Excellentissimos et Summe Venerabiles his litterulis verecunde salutemus, et beati Koenigii**) verbis usi, „convocemus, quotquot in scholarum umbram aliquando succedere nec persona sua indignum judicaverint, nec a publica utilitate alienum.

---

*) Facciol. orat. IV. pag. 92 sqq.

**) Nolui hoc Facciolati quasi cippo sepulcrali non subscribere nomen Viri in paucis latine docti de scholisque nostris egregie meriti.

Mutanda.

P. 8. l. 6; pro quin — enasceretur, lege: „ut non enasceretur perspicuitas orationis.

Nachrichten über die Anstalt.

Zwölftes Jahr.

A. Bestand und Verfassung.

Im Herbste des Jahres 1824 begründete der Unterzeichnete seine Bildungs- und Erziehungsanstalt in Folge einer vertrauensvollen Anregung und Auffoderung von Seiten des damaligen Cabinetsministers Grafen von Einsiedel. Er kaufte, von Sr. Majestät dem Könige Friedrich August für die ersten 10 Jahre durch ein zinsenfreies Kapital von 10000 Thaler und jährlicher Gewährung von 40 Klaftern Holz huldreichst unterstützt, das auf der großen Plauenschen Gasse Nr. 458 gelegene umfassende Gartengrundstück, dessen Hauptgebäude er im folgenden Jahre durch Uebersetzung mit einer neuen Etage erweiterte, und den mannichfachen Bedürfnissen einer solchen Anstalt entsprechend einrichtete. Am 18. October 1824 zog er in dasselbe mit 6 Zöglingen ein, welche er bereits in seiner frühern öffentlichen Stellung als Vicedirector der Friedrich August-Schule in Vereinigung mit zwei Männern geleitet hatte, die seine ersten Collegen im neuen Werke wurden, und von denen der eine, D. Theodor Pabst, ihm noch bis heute zur Seite steht, der andere, M. Klotzsch, gegenwärtig Prediger zu Magdeborn bei Leipzig ist.

Am 24. October 1826 fand nach vollendetem Baue und begründeter Organisation die öffentliche Einweihung der Anstalt durch einen feierlichen Actus Statt, zu welchem der Vorstand in einem Programme einlud, welches sich umfassender über Zweck, Grundsätze und Mittel dieser Erziehungsanstalt verbreitete.

Der Zweck dieses Erziehungshauses, den ihm anvertrauten Zöglingen eine vom Geiste des Christenthums durch-

3*

drungene ächte Humanitätsbildung zu geben und, dieselben durch die drei Hauptgliederungen seiner Bildungsstufen, durch das Progymnasium und Gymnasium bis zur Universität, und durch das von diesem gesonderte Realgymnasium zu denjenigen Berufsarten gründlich vorzubereiten, welche eine wissenschaftliche, aber nicht auf das Alterthum und seine Sprachen begründete Vorbildung bedürfen, ist seit dem Beginn desselben sich gleich geblieben.

Dieser umfassendere Zweck, die leitenden Grundsätze, die verwirklichten Mittel und das Gedeihen, welches Gott sofort dem ersten Lebenskeime der jungen Anstalt gab, wurden Veranlassung und Beweggrund, daß dem Director derselben im Jahre 1829 die höchste Landes-Regierung und der Graf Otto Vitzthum von Eckstädt, als Administrator der Vitzthumschen Familienstiftung, das ausgezeichnete Vertrauen schenkten, das durch testamentarische Verfügung des ehrwürdigen Rudolph von Vitzthum auf Apolda im Jahre 1638 gegründete, und nach sehr bedeutender Erhöhung der Fonds thatsächlich in's Leben zu rufende Vitzthumsche Geschlechtsgymnasium an seine Bildungs- und Erziehungsanstalt anzuschließen.

Bei dieser temporären Vereinigung war die Festhaltung der Einheit Hauptbedingung. Das Vitzthumsche Geschlechtsgymnasium bildet keinen gesonderten status in statu, sondern seine Zöglinge sind Glieder der Gesammtanstalt, die Pension wird für sie aus dem Stiftungsfonds an den Director gezahlt, sie haben die gleichen Lehrer, von denen jedoch drei als ihre besonderen Specialerzieher den Vorzug einer öffentlichen Anstellung genießen, sind nach ihren Bildungsstufen und nach ihrer Berufswahl in die bestehenden acht Klassen vertheilt, und folgen denselben Gesetzen und derselben Einrichtung und Tagesordnung beim Aufstehen, gemeinsamen Essen, Erholung, Spiel, Spaziergang, Beaufsichtigung rc. wie die übrigen Zöglinge. Nur durch ihre Wohn- und Schlafzimmer in dem mit dem Gebäude der Blochmann'schen Erziehungsanstalt durch einen bedeckten Gang eng verbundenen Wohnhause des Vitzthumschen Gartengrundstückes sind sie räumlich von diesem geschieden. Die Zahl der Zöglinge des Vitzthumschen Geschlechtsgymnasiums ist testamentarisch auf achtzehn

festgesetzt und zwar dergestalt, daß je zwei Zöglingen aus Vitzthumschen Familien ein vom Administrator zu wählender Contubernal aus nicht Vitzthumschen Familien beigesellt ist. Dem gemäß ist die Anzahl der eigentlichen Vitzthumschen Zöglinge 12 und die der Contubernalen 6. Sie werden erst mit vollendetem neunten Jahre in die Anstalt aufgenommen.

Durch diese seit sieben Jahren bestehende Vereinigung ist das gemeinsame Gymnasial-Erziehungshaus einerseits eine öffentliche, anderseits eine Privatanstalt. Diese hat durch jene ein mehr erweitertes, gesichertes und öffentlichen Schutz und Förderung genießendes Bestehen, jene durch diese ein erleichtertes und umfassenderes Erreichen der Zwecke ihrer Stiftung. Die höchste Behörde der Gesammtanstalt ist in Beziehung auf Organisation und Administration das Ministerium des Innern, rücksichtlich der Studien das Ministerium des Cultus. Die Angelegenheiten des Vitzthumschen Geschlechtsgymnasiums in's Besondre leiten ein Königlicher Commissar, gegenwärtig der Herr Geheime Regierungsrath D. Schaarschmidt, und der Stiftungs-Administrator, zur Zeit der Dom- und Kammerherr Otto Graf Vitzthum von Eckstädt auf Lichtewalde.

Wie der ehrwürdige Gründer des Vitzthumschen Geschlechtsgymnasiums in seiner, während der Zerstörungen des dreißigjährigen Krieges, in liebender Fürsorge für die künftigen Glieder seines Geschlechtes gemachten Stiftungsurkunde, als Zweck dieser Bildungsanstalt bezeichnet:

„daß die Vitzthum'schen Knaben voraus in der reinen evangelischen Religion wohl informiret und zu allen Tugenden angehalten werden, aufdaß zuvörderst Gottes Ehre gesucht werde;"

„daß sie während der neunjährigen Disciplin in Sprachen und freien Künsten wohl unterrichtet und geübt werden,"

„daß sie in adligen Exercitien gewandt und wohl erzogene Leute seyen:"

so erkennen auch wir in diesen testamentarischen Worten die

Grundzüge aller vollkommenen Gymnastalbildung, und halten als höchste Aufgabe bei der Erziehung und Bildung der uns Anvertrauten fest:

1) daß sie eine christliche, Gottes Ehre und Verherrlichung in der Menschenbildung zuvörderst suchende, aus dem lautern Gottesworte ihre Weisheit und belebende Kraft schöpfende, und zur höchsten Lebensgemeinschaft mit Gott durch den Geist Christi führende sei;
2) daß sie als geistige Bildung auf gründliches Studium der Sprachen, vor allen der altklassischen gebaut sei, jedoch so, daß der formell bildenden Kraft der Mathematik und der mit dem nöthigen Stoff des Wissens ausrüstenden Geschichte und Naturwissenschaft ihr Recht an harmonischer Humanitätsbildung bleibe;
3) daß sie den Körper pflege, übe und bilde zur Kraft, Anmuth und Gewandtheit.

Es ist unmöglich, daß es um den Organismus der Menschenbildung gut stehe, wenn ihr Haupt und ihr Fuß leidet; ihr Haupt aber ist und bleibt in Ewigkeit Christus, und ihr Fuß ein gesunder, kräftiger, in seinem Sinnen- und Muskelgebrauche gewandter Leib. Wir müssen daher eben so sehr zur Einfalt und Kraft des Glaubens zurückkehren und zurückführen, in welcher unsere früheren Väter das Höchste und Bildendste in Wissenschaft, Kunst und Leben zurückbezogen auf die Erscheinung und Vermittlung alles rein Göttlichen in der Persönlichkeit und dem Geiste Christi, als wir in der Körperbildung zur Einfachheit, Kraft und Naturgemäßheit unsrer Vorfahren selbst zurückkehren und die Unseren zurückführen müssen. Dieses zweifache Bedürfniß bei der Bildung unserer Jugend spricht sich immer lauter und allgemeiner aus, und ohne die wohlthuenden Zeugnisse in ersterer Beziehung hier näher berühren zu wollen, fühle ich mich veranlaßt in letzterer Hinsicht auf die vielen und gewichtigen Stimmen aufmerksam zu machen, welche sich auf Veranlassung der Schrift des Herrn Medicinalrath D. Lorinser in Breslau erhoben, und, welches auch immer das Urtheil über die in etwas starken Farben entwor-

feren Ansichten des Verfassers sei, doch alle darin sich vereinigt haben, daß der Jugend unserer Gymnasien rücksichtlich ihrer Gesundheit und Bildung zu Kraft, Anmuth und Gewandtheit des Körpers eine größere Sorgfalt gewidmet werden müsse.

Auf das günstigste stellt sich diesfalls die Lage und Einrichtung unserer vereinten Anstalt. In einem freien, höher liegenden und vorzüglich gesunden Theile der Stadt, schließen sich an die großen neugebauten Wohnhäuser mit hohen, lichten Zimmern, weite, schattige Gartenräume an, in denen die Knaben und Jünglinge in jedem freien Augenblicke sich ergehen, springen, spielen und turnen können. Das Verhältniß der für den Unterricht und die Privatarbeiten bestimmten Zeit zu derjenigen, welche der Pflege, Stärkung und Uebung des Körpers gewidmet ist, stellt sich durchschnittlich wie 9 zu 15. Von den zu geistiger Beschäftigung täglich verwendeten 9 Stunden kommen in den unteren Klassen 6, in den obern 5 auf den Unterricht, und von den der körperlichen Pflege und Kräftigung übrig bleibenden 15 Stunden 8 auf den Schlaf, 2 auf Ernährung und Anzug, und 5 auf Erholung, Spiel, Spaziergang, Gymnastik. Dabei ist die Einrichtung getroffen, daß in den Morgenstunden von $9\frac{3}{4}$ bis $10\frac{1}{4}$ und in den Nachmittagsstunden von $4\frac{3}{4}$ bis $5\frac{1}{4}$ der Unterricht stets durch eine halbe Freistunde unterbrochen, und diese nicht allein zu einem zweiten Frühstücke und zu Vesperbrod, sondern auch zu mannigfachster Bewegung im Garten benutzt wird. Es ist bekannt und durch mehrfache öffentliche Prüfungen dargelegt, welche besondere Sorgfalt auf die Bildung der Zöglinge zu körperlicher Stärke und Gewandtheit durch alle Arten der Gymnastik, als Turnen, Voltigiren, Fechten, Tanzen, Schwimmen 2c. verwendet wird. Kleinere und größere Fußreisen während der Pfingst- und September-Ferien stärken die Gesundheit, härten ab und gewöhnen an Ertragung von Beschwerden und an Ausdauer. Die Tagesordnung ist fest geregelt, die Aufsicht ununterbrochen, die Nahrung einfach aber kräftig, die Sorge für Reinlichkeit allgemein, das Verhältniß der Zöglinge zu ihren Specialerziehern ein auf Achtung, Liebe und Vertrauen gegründe-

tes, und das der Zöglinge unter einander ein unbefangenes und wohlwollendes. Und so dürfen wir uns auf das Zeugniß aller derer berufen, welche uns näher stehen und unser Leben und die uns an vertrauten Zöglinge kennen und beobachten, wenn wir im Allgemeinen unsre Jugend als eine gesunde, kräftige, gewandte und frohsinnige bezeichnen.

Was nun das gestellte Ziel der wissenschaftlichen Vorbildung in den drei Hauptgliederungen der Gesammtanstalt, dem Progymnasium, Gelehrtengymnasium und Realgymnasium, so wie den Gang, die Vertheilung und den Umfang des Unterrichts in denselben anlangt, so mögen folgende Andeutungen und Umrisse für den gegenwärtigen Zweck genügen.

Das Progymnasium

hat die gründliche und allgemeine Vorbereitung der Zöglinge aus der ersten Hälfte des Knabenalters (von ungefähr 9 bis 13 Jahren), für jede besondere Lebensrichtung, die sie späterhin wählen können, zum Ziele, und ist Vorbereitungsanstalt theils für das Gelehrtengymnasium, theils für das Real gymnasium. Das allgemein Menschliche in der Entfaltung, Stärkung und Bildung jeglicher Seelenkraft an sich durch die zweckmäßigsten Bildungsmittel und auf die naturgemäßeste Weise, vor Allem die formelle Ausbildung der intellektuellen Kräfte, so wie Bereicherung des Gedächtnisses durch vielfache Anschauungen und Kenntnisse aus dem Gebiete der Sprache, der Zahlen- und Formenlehre, des Natur- und Menschenlebens sind hier Hauptzweck. Die sensuelle und die historische Richtung, welche beide auf dieser Bildungsstufe vorwalten, stellen sich dar im vorherrschenden Gefühle, lebhafter Anschauungsgabe, gläubiger Auffassung und kindlicher Ergebung in Autorität, im leichten Erlernen und dauerhaften Behalten des Gegebenen. Daher die Objecte des Glaubens, der Anschauung und des Gedächtnisses, nebst den mechanischen Fertigkeiten hier vorzugsweise cultivirt, eine feste Grundlage aller Bildung gewonnen, die sittliche und religiöse Richtung des Gemüths bestimmt, Phantasie und Gedächtniß mit einer Fülle

von Stoff befruchtet werden müssen, der auf den folgenden Stufen weiter verarbeitet wird. Indem Sprache, Zahlen- und Formenlehre den Verstand, Religion die gläubige Kindlichkeit, Geschichte, Geographie und Naturgeschichte die Anschauung in Anspruch nehmen, wenden sich alle vorzugsweise an das Gedächtniß, und fodern von ihm ein unerschütterliches Festhalten des gegebenen Stoffes bis zur mechanischen Sicherheit und Fertigkeit, wodurch allein der spätere Unterricht gedeihen und lebendig werden kann.

Der Zögling, welcher als aufnahmfähig für die unterste Klasse des Progymnasiums, also überhaupt als eintrittsfähig in die Gesammtanstalt erkannt werden soll, muß in der Elementarbildung und in allen zu derselben gehörigen Elementarkenntnissen und Fertigkeiten einen guten und sichern Grund gelegt haben; namentlich muß er

1.) richtig, fertig und mit gehörigem Ausdrucke die deutsche gedruckte und geschriebene, auch geläufig die lateinische Schrift lesen;

2.) Gewandtheit und eine gewisse kalligraphische Fertigkeit im Schreiben der Worte beider Sprachen besitzen;

3.) in der deutschen Sprache eine allgemeine Kenntniß der Etymologie, der Formenlehre und einfachen Satzlehre erlangt haben, überhaupt die Fertigkeit, ohne auffallende und häufige Fehler gegen Grammatik und Orthographie, in kleinen Sätzen sich schriftlich auszudrücken;

4.) durch alle vier Grundrechnungen mit unbenannten und benannten ganzen Zahlen unter 1000 im Kopfe und mit Ziffern fertig rechnen.

Im Lateinischen, in der Geschichte, Naturgeschichte und Geographie wird für den Eintritt in die 2. Progymn. Kl., wenn er zu Anfange des Hauptcursus erfolgt, noch nichts gefordert. Eben so ist in der französischen Sprache ein gemachter Anfang nicht nothwendig, wird aber stets willkommen sein, unter der Bedingung einer Begründung ächt

französischer Aussprache, da Gewöhnung an unrichtige Aussprache für die spätere Fortbildung in dieser Sprache stets den größten Nachtheil bringt.

Nach den gewonnenen Erfahrungen in Bezug auf den für die einzelnen Unterrichtsgegenstände zu verwendenden Zeit- und Kraftaufwand haben wir folgendes Maßverhältniß in der Vertheilung der Stunden als das naturgemäßeste festgestellt:

	II. Progymn. Kl.		I. Progymn. Kl.	
Bibl. Gesch. u. Relig. Lehre	4	St.	4	St.
Deutsche Sprache	3	—	3	—
Lateinische Sprache	6	—	8	—
Französische Sprache	4	—	4	—
Geschichte	3	—	3	—
Rechnen	3	—	3	—
Formenlehre	1	—	1	—
Geographie	2	—	2	—
Naturgeschichte	2	—	2	—
Zeichnen	2	—	2	—
Kalligraphie	2	—	2	—
	32	St.	34	St.

Es erlaubt der Raum hier nicht, daß ich mich über die für die einzelnen Klassen genau begrenzte Stufenfolge und das Klassenziel aller einzelnen Unterrichtsgegenstände verbreite, welches einer bald erscheinenden ausführlichen Schrift über die vereinte Anstalt, in Beziehung auf Unterricht, Erziehung, Disciplin und die gesammte Organisation derselben vorbehalten bleibt.

Das humanistische oder Gelehrten-Gymnasium

ist schon durch seinen Namen als eine geistige Uebungsanstalt durch Gymnastik aller Seelenkräfte, als eine Bildungsschule des Menschen zur wahren, zur christlichen Humanität bezeichnet. Der Mensch, als Mensch mit dem ganzen Reichthume

seiner geistigen Anlagen und sittlichen Kräfte, die Begründung einer auf dem klassischen Alterthume und seinen Sprachen ruhenden, alle wesentlichen Richtungen menschlicher Erkenntniß anbauenden, geistig selbstständigen Bildung, und die Läuterung und Veredlung der Gemüths- und Willenskräfte zum sittlich festen Charakter und zu einem Leben in der Kraft des Glaubens und der Wahrheit nach dem Vorbilde und Geiste Christi, ist der Gegenstand und höchste Zweck desselben. Es soll sich daher frei erhalten von allen einseitigen Richtungen im Gebiete der wissenschaftlichen, wie der religiösen Bildung; soll weder einem verflachenden Realismus, noch einem pedantisch eingeengten Humanismus, weder einem den Offenbarungsglauben zerstörenden Rationalismus, noch einem das geistige Leben umdüsternden Mysticismus huldigen, auch nie einer einseitigen Richtung des Zeitgeistes dienen. Es soll keinen Augenblick von seinem ewigen Ziele abirren als Schule der christlichen Humanität, freier, kräftiger Menschenbildung und ächt wissenschaftlicher Vorbereitung zur höchsten Bildungsstufe, zur Universität.

Das humanistische Gymnasium soll nicht sowohl das Wissen, als das Erkennen zum Zweck machen, den Stoff des Unterrichts nicht allein dem Gedächtnisse einprägen, sondern an ihm die Gesammtkraft des menschlichen Geistes üben. Das Erlernte ist ihm mehr Mittel, als Zweck. Das Verständniß der Klassiker, die Herrschaft über Sprache, Leben, Wissenschaft und Kunst der Alten ist ihm nicht das letzte Ziel, sondern stets nur Mittel, die eigne höhere Geistesbildung seiner Schüler zu begründen. Es wird daher solchen Gegenständen des Unterrichts vorzugsweise Kraft und Zeit widmen, an welchen mehr, als an andern, die geistige Kraft, sowohl nach Umfang als nach Tiefe, gebildet werden kann, dabei aber nie die Harmonie in der Entwicklung aller Seelenkräfte und in der Grundlegung und dem Anbaue aller wesentlichen Richtungen menschlicher Erkenntniß aus dem Auge verlieren, keine der Beziehungen zu der physischen, intellektuellen, ästhetischen und sittlich religiösen Cultur unsers Geschlechtes vernachlässigen.

Es besteht aus einem Untergymnasium, **Quarta** und **Tertia**, und einem Obergymnasium, **Secunda** und **Prima**, welche beide Stufen sich nicht allein in Umfang, Natur und Form des Unterrichtsstoffes und in der Behandlungsweise der Unterrichtsgegenstände und der Schüler selbst, sondern vorzüglich auch in dem Verhältnisse der Maßstellung für ihre aufnehmende und producirende Thätigkeit, für Unterricht und Selbstlernen durch Privatstudien als wesentlich verschieden charakterisiren.

Nach langen, zum Theil noch fortdauernden Kämpfen über Feststellung der Unterrichtsgegenstände in Gelehrtenschulen und des Maßes der Zeitvertheilung für dieselben ist bei der vorurtheilsfreien Mehrheit deutscher Schulmänner ein die Getrennten mehr und mehr einigendes und zur Harmonie und zum Frieden führendes Resultat gewonnen worden, darin bestehend, daß man

a) einen entwickelnden, gründlichen, geistbildenden Unterricht in der lateinischen und griechischen Sprache, und vermittelst desselben einer tieferen Einführung in das Leben der Griechen und Römer, um daraus den größten bildenden Einfluß für Wissenschaft, Kunst und Leben zu gewinnen, den *kein* anderes Bildungsmittel ersetzen kann, an die Spitze aller Unterrichtsgegenstände stellend, für ihn *die Hälfte* der Zeit und Kräfte des Zöglings in Anspruch nimmt;

b) den großen, die rein abstrakte Denkkraft, wie kein anderes Mittel, bildenden Einfluß der Mathematik würdigend, dieser Disciplin die Stelle sichert und den Zeit- und Kraftaufwand zugesteht, welche sie als so hohes und universelles Bildungsmittel für sich fodert;

c) die Bekanntschaft mit dem Naturleben und den verschiedenen Naturwissenschaften nicht mehr für etwas Ueberflüssiges oder gar Gefährliches hält, sondern auch dieses Gebiet ächter Menschenbildung in den Kreis des Gymnasialunterrichtes stellt, und ohne ihm mehr als zwei Stunden wöchentlich zuzugestehen, durch einen methodi-

schen, progressiven und scharf begrenzten Gang desselben, so wie durch stete Veranschaulichung, ohne Verflachung durch Vielerlei und Spielerei, den bildenden Einfluß dieses Unterrichts sicher stellt;

d) das Studium der Geschichte auf eine mehr umfassende, den verschiedenen Entwickelungsstufen angemessene Weise betreibt;

e) gründliche Bildung in der Muttersprache und Gewandtheit in ihrer schriftlichen und mündlichen Darstellung, mit dem Besitze wenigstens einer lebenden Sprache, (der französischen) und mit einiger Kunstbildung (im Gebiete des Gesanges und Zeichnens) zu vereinigen bemüht ist;

f) eine kräftige und gewandte Körperbildung durch die verschiedenen gymnastischen Bildungsmittel zu geben strebt.

So haben auch wir unsere Aufgabe in Beziehung auf die Unterrichtsgegenstände im humanistischen Gymnasium gefaßt, und die nachfolgende übersichtliche Darstellung möge theils die Gegenstände des Unterrichts, theils das einem jedem bestimmte Maß von Zeit- und Kraftaufwand bezeichnen:

	Untergymnasium.		Obergymnasium.	
	Quarta.	Tertia.	Secunda.	Prima.
Religionslehre	3	3	2	2
Latein	9	9	9	9
Griechisch	6	6	7	7
Deutsch. Spr. u. Lit.	2	2	2	2
Französisch	3	3	2	2
Mathematik	4	4	4	4
Geschichte	3	3	2	2
Naturwissensch.	2	2	2	2
Geographie	2	1	—	—
	34 St.	33 St.	30 St.	30 St.

Wenn die hier aufgeführte Zahl der wöchentlichen Unterrichtsstunden, welche sich durch den Unterricht in der Gymnastik und dem Gesange oder irgend einem Instrumente bei den Meistern bis auf 36 erhöht, an sich mit Recht als zu groß erscheint, so verschwindet der Vorwurf einer Ueberladung durch die bei uns bestehende Einrichtung eines wöchentlichen Studiertages. Es fallen nämlich in jeder Woche, in welche kein Feiertag trifft, für die Zöglinge der drei obersten Gymnasial- und der ersten Realklasse auf einen ganzen Tag, für die vierte Gymnasialklasse auf einen Vormittag die Unterrichtsgegenstände aus, welcher sogenannte freie Tag zur Verfertigung eigner Arbeiten und zu anhaltenden selbstständigen Studien unter Anleitung, steter Beaufsichtigung und sorgfältiger Correctur von Seiten der betreffenden Lehrer, verwendet wird.

Das Realgymnasium

nimmt alle diejenigen Zöglinge in sich auf, welche für Berufsarten sich bestimmen, die eine künftige Facultätsbildung auf der Universität nicht nothwendig machen, als z. B. für Cameralistik, Forst- und Bergwesen, Oekonomie, Architectur, Militair-Dienst ꝛc., und hat den Zweck, denselben theils eine allgemeine wissenschaftliche und humane, theils eine besondere, mit der zukünftigen Berufswissenschaft eng verbundene Vorbildung zu geben. Ein zu früher Uebertritt zu der gesonderten Richtung des Realstudiums, wie derselbe wohl häufig geschieht, ist unbedingt nachtheilig, und führt zu einem verflachenden Philanthropinismus; dagegen würde ein zu später Uebergang in das Realgymnasium die nothwendig zu erreichende Befähigung und Tüchtigkeit in den für die zukünftigen Berufsarten unentbehrlichen Realwissenschaften unmöglich machen. Wir glauben daher, das richtige Maß zu halten, wenn wir unsere für das Realgymnasium bestimmten Zöglinge nach zurückgelegtem Cursus der 4. Gymn. Kl. also in einem Alter von 14 bis 15

Jahren erst in dasselbe eintreten lassen. Die Wohlthat einer strengeren formellen Bildung durch die länger fortgesetzten Uebungen in der lateinischen und selbst in der griechischen Sprache ist uns bei jedem dieser Zöglinge, der seinen Cursus mit Fleiß und Erfolg durch Quarta gemacht hatte, in der erhöhten Leichtigkeit und Gründlichkeit seines spätern Fortschreitens sehr augenfällig geworden.

